An. et vol. CVII 7 Augusti 2015 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

LITTERAE DECRETALES

Quibus beato Ludovico a Casaurea Sanctorum honores decernuntur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Dominus dulcissimo amore ad se vocavit et interminata caritate me in vitae itinere direxit...».

Hanc per professionis fidei luculentam affirmationem in suo testamento scriptam, Pater Ludovicus a Casaurea praecise exprimit mysterium gratiae quae, e divina caritate exorta, vitam implevit suam. Etenim Dominus dignatus est Beatum Ludovicum verum Sancti Francisci Assisiensis filium duodevicesimi saeculi facere, ita ut ipse intimam cum Crucifixo communionem foveret Eiusque membris patientibus liberaliter serviret.

Beatus Ludovicus natus est die XI mensis Martii anno MDCCCXIV in Casaurea, prope Neapolim, ex parentibus Vincentio Palmentieri et Candida Zenga, et, nomine Archangeli imposito, postridie baptizatus est. In disciplinam fabri tignarii brevi receptus, ad vitam deinde religiosam allectus est dum conventum Franciscanorum ad Sanctum Antonium dicatum in oppido *Afragola* prope Neapolim frequentabat. Habitum seraphicum accepit in Lauro Nolae die XVII mensis Iunii anno MDCCCXXXII. Sacerdos die IV mensis Iunii

anno MDCCCXXXVII consecratus, praecipue se dedidit studio et institutioni disciplinarum chemiae, mathematicae et physicae.

Anno autem MDCCCXLVII, dum in ecclesia Neapolitana Sancti Ioseph de Ruffi vel, ut vulgo dicitur, Sacramentinarum, orabat, immensa gratia nova et insolita infusus est. Haec re vera fuit eius «lavatio», videlicet initium itineris ad bonum fratrum curandum prorsus directi. Ipse testimonium praebet de hoc miro eventu: «Ratio mea, fide illustrata, inducta est ad Christum pauperesque Eius amandos, et ideo totam voluntatem meam direxit ad caritatem faciendam erga Deum et proximum».

Curam deinde imprimis dedit fratribus suis infirmis, pro quibus valetudinarium in *Capodimonte* construxit nomine *La Palma*. Anno MDCCCLIV, incepit amplecti infantes Africanos servitudine demptos. Hoc modo inchoatum est opus versus *Moretti*, ut dicuntur; quod opus, iuxta Patris Ludovici consilium ad African evangelizandam, destinabatur ad iuvenes Africanos educendos ut fierent Apostoli in Africam, ita ut «Africa ab Africa converteretur». Venerabili Sorore Anna Lapini, fundatrice Sororum Franciscalium a Sacris Stigmatibus, adiuvante, simile opus instituit pro infantibus femininis *Morette* dictis anno MDCCCLIX. Cum egregiam operam semper Ecclesiae in Africa aedificandae daret, constituit etiam missionem in regione *Scellal*; quam regionem ille ipse, etsi brevi, visitavit mense Ianuario anni MDCCCLXVI. Primi collaboratores Patris Ludovici provenerunt ex Tertio Ordine Saeculari Sancti Francisci, quos multum cohortabatur ad bonum hominum promovendum. Nonnulli deinde eorum adsciti sunt in duas Congregationes Tertii Ordinis regularis a Patre Ludovico institutas: altera Fratrum a Caritate, vulgo *Bigi,* quae exstitit ab anno MDCCCLIX usque ad annum MCMLXXI, et altera Sororum a Sancta Elisabeth, vulgo *Bigie*, anno MDCCCLXII instituta.

Laesus amore Dei – ut ipse dicebat – nihil rogavit nisi ardorem ad opera caritatis facienda: «Anima mea liquescebat ob amorem erga Iesum Christum, et flagrantissimo igne intus ardescebam propter amorem erga pauperes Christi». Quapropter, ingeniosus et studiosus, latissimam seriem aliorum operum excogitavit quibus remedium indigentibus sui temporis afferret: opera, exempli gratia, *Accantoncelli* ut pueri tecto carentes adiuvarentur. Constituit etiam domos aetate provectis, oecotropheos, scholas, fundos, hospitia pueris, societates operum misericordiae, domos typographicas, globos musicorum et alia opera caritatis. Anno MDCCCLXXI fundavit Assisii domum

caecis ac surdis mutisque. Anno MDCCCLXXVII exstruit Florentiae ecclesiam Sacratissimo Cordi Iesu dicatam. Immensum desiderium boni aliorum curandi movit cum etiam ad culturam humanam promovendam, quam habuit tamquam peculiarem viam ad fidem christianam alendam humanitatemque fovendam. Inter collaboratores et amicos eius adnumerantur etiam praeclari homines illo tempore, quorum multi fuerunt etiam Sancti. Artissimo amicitiae vinculo coniunctus est cum Sancta Catharina Volpicelli, Fundatrice Instituti Ancillarum a Sacratissimo Corde, necnon Beato Bartholomaeo Longo, Fundatore Sanctuarii Operumque Beatae Virginis Rosarii Pompeii. Beatus Ludovicus mortuus est Neapoli in Hospitio Nautis *di Posillipo,* quod ultimum opus erat ex corde suo natum, nautis aetate vectis destinatum, die XXX mensis Martii anno MDCCCLXXXV, die scilicet secunda Hebdomadae Sanctae.

Fama sanctitatis post eius obitum late percrebrescente, Processus Ordinarius Informativus rite est institutus mense Augusto anni MDCCCLXXXV. Peractus est deinde Processus Apostolicus ab anno MCMVIII ad annum MCMXVI; qui Processus extensus est ab anno MCMXX ad annum MCMXXVIII. Omnibus his canonice agendis feliciter actis, Decretum deinde editum est super virtutibus a Beato Paulo VI die XIII mensis Februarii anno MCMLXIV. Postea Decretum super miro proditum est die XI mensis Iulii anno MCMXCII. Sanctus Ioannes Paulus II praesidit Sollemni Ritui Beatificationis ante Basilicam Petrianam die XVIII mensis Aprilis anno MCMXCII, die scilicet Dominica in Albis.

Ad eiusdem Beati canonizationem obtinendam, mira coniecta sanatio cuiusdam infantis, die XII mensis Iunii anno MCMXCIV impetrata, relata est ad Congregationem de Causis Sanctorum. Hac de sanatione instructus est Processus canonicus apud curiam ecclesiasticam dioecesis Cerretanae-Thelesinae-Sanctae Agathae Gothorum. Hoc processu expleto, favorabilique voto habito et Consilii Medicorum die XVI mensis Ianuarii anno MMXIV et Consultorum Theologorum die VI mensis Martii anno MMXIV, Patres Cardinales et Episcopi congregati sunt in Sessione Ordinaria die XV mensis Aprilis anno MMXIV. Posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est. Decretum super miro promulgatum est die XVI mensis Aprilis anni insequentis. Tandem, post suffragium die XII mensis Iunii anno MMXIV in Consistorio datum, statuimus ut ritus Canonizationis Beati Ludovici a Casaurea fieret die XXIII mensis Novembris anno MMXIV, Dominica Sollemnitatis Domini Nostri Iesu Christi Universorum Regis.

Hodie igitur hanc formulam inter Sacra protulimus:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Antonium Farina, Cyriacum Eliam Chavara a Sacra Familia, Ludovicum a Casaurea, Nicolaum a Longobardis, Euphrasiam a Sacro Corde et Amatum Ronconi Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Qui igitur evangelicam sitit perfectionem Regnumque appetit Dei, admiretur huius Sancti virtutes alliciaturque ad eas amplectendas, ut, ad Sancti Francisci Assisiensis exemplar adhaerescens, Iesum Christum sectari contendat, operositatem apostolicam incumbat, orationis usum adsidue frequentet, germanam caritatem excolat et vera utatur paenitentia et abnegatione christiana. Spiritus Sanctus, per intercessionem Sancti Ludovici a Casaurea, obsequium fidei in omnium hominum cordibus suscitet animasque eorum voluntate Dei serviendi et diligendi insufflet.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo et tertio mensis Novembris, anno Domini bis millesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

MISERANDO ATQVE ELIGENDO
SCTVS PETRVS SCTVS PAVLVS
FRAN CISCVS P P

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 65.762

CONSTITUTIO APOSTOLICA

NUCENSIS

In Mexico nova conditur dioecesis Nucensis.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Quo satius consuleretur spirituali bono Christifidelium sibi creditorum, Venerabilis Frater Iosephus Ulixes Macias Salcedo, Archiepiscopus Metropolita Hermosillensis, audita Conferentia Episcoporum Mexici, ab hac Apostolica Sede enixe petivit ut quodam dismembrato territorio ab eadem archidioecesi nova conderetur dioecesis. Nos quidem, audita faventi sententia Venerabilis Fratris Christophori Pierre, Archiepiscopi titulo Gunelensis et in Mexico Apostolici Nuntii, de Consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putamus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Hermosillensi separamus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum, qui patrio sermone nuncupantur: Agua Prieta, Altar, Atil, Bacoachi, Caborca, Cananea, Fronteras, Imuris, Naco, Nacozari de García, Nogales, Oquitoa, Pitiquito, Santa Crux, Sáric, Trincheras et Tubutama, atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim Nucensem, cuius sedem in urbe Nucensi ponimus, ibique exstans paroeciale templum, Deo in honorem Dominae Nostrae de Guadalupe dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut in eadem Capitulum Canonicorum, ad normam iuris, instituatur. Ceterum novam dioecesim Nucensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Hermosillensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore ipsius metropolitanae Ecclesiae subicimus. Congruae quidem sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione ei obveniente ex divisione, ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda, bonorum quae hactenus Mensae (illic dictae «Mitra») Hermosillensi pertinuerunt. Ut Pastori novae dioecesis in eius regimine validum tribuatur adiutorium, Consilium Presbyterale, Collegium

Consultorum et Consilium a rebus oeconomicis quam primum instituantur. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque ad sacrorum alumnorum institutionem, serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis ac regulis a Congregatione pro Clericis statutis. Insuper variis rationibus permanens educatio presbyterorum procuretur et cum fas erit, selecti sacerdotes ad studia complenda Romam mittantur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem sacerdotes Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte respiciunt, a Curia Hermosillensi ad Curiam Nucensem quam primum transmittantur. Ad haec omnia perficienda deputamus memoratum Apostolicum Nuntium, vel, absente eo, illum, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Mexicana Natione, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Martii, in sollemnitate Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis et Patroni Universalis Ecclesiae, anno Domini bis millesimo decimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 66.333

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Dei Servis Mauro Palazuelos Maruri et XVII Sociis ex Ordine Sancti Benedicti Beatoram honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam eam faci et» (*Mc* 8, 35).

Hac in brevi prolatione, ex Evangelio secundum Marcum excepta, praecipue refulgent vita et mors Martyrum Monasterii *El Pueyo*; vita scilicet Domino integre consecrata martyrioque in fine decorata. Sanguine ob amorem Iesu Christi versato hi pii monachi sic plenam ac definitivam Deo consecrationem panxerunt suam.

Plene conscii se tamquam martyres obituros esse paratique talem ad mortem amplectendam, intrepide quidem morti occurrerunt, scientes se ab altera ad alteram vitam, sane meliorem, transituros. Intellexerunt enim operae pretium esse se hanc terrestrem vitam perdere ut illam sempiternam adipiscerentur Christumque postremo et certo incurrerent, cui vitam suam per vota monastica dicaverant. Enimvero contigit in novissimis diebus terrestris eorum vitae, immo vero eo ipso tempore quo in occursum mortis veniebant, ut reapse quirent observare praecepta quae sanctus Benedictus sua in Regula illis tradidit: «Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae. ... Succinctis ergo fide vel observantia honorum actuum lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamus itinera eius, ut mereamur eum qui nos vocavit in regnum suum videre. ... Christo omnino nihil praeponant, qui nos pariter ad vitam aeternam perducat» (*S. Benedicti regula*, prologus et caput LXXII).

Martyres de *El Pueyo* tali fortitudine talique gaudio occurrerunt morti quoniam sciebant se eo modo ad vitam aeternam esse perventuros seseque felicissime conspectum inituros Patris necnon congressum cum Christo Matreque Sanctissima Eius.

Holocaustum beati martyris Mauri Palazuelos eiusque XVII Sociorum, Benedictinorum Monasterii Dominae Nostrae de *El Pueyo* Barbastri, oblatio reapse fuit totius communitatis, scilicet XVIII monachorum qui coenobialem vocationem usque ad finem sunt obsecuti; quorum solummodo tres aliis in locis sunt comprehensi aliisque a fratribus separati, qui tamen non minus atrociter occisi sunt suam propter fidem suumque statum religiosum.

Prior communitatis, pater Maurus Palazuelo Maruri, O.S.B., trucidatus suis cum XIV fratribus, numquam ferventius vel intimius antea inchoavit cantum *Salve Regina* quam ipso die martyrii; quo die illum cantum Marialem cecinerunt utpote novissimum actum venerationis ac postremam valedictionem Matri de *El Pueyo* dum se ipsius Beatissimae Mariae tenerrimis amplexibus in caelo committebant.

Hi universi monachi praeclarum reliquerunt plenae fidelitatis exemplum, quod totam vitam, dono Domino oblatam, coronavit. Enimvero parati fuerunt ad martyrium suscipiendum post XXXVI dies in carcere peractos. Magnum quidem exemplum praebuerunt fidei ac spei, nullo modo dubitantes se, tutela Mariae Sanctissimae munitos, manibus Dei concredere.

Monachi qui occisi sunt intra muros coemeterii in oppido *Barbastro* regionis Oscensis die XXVIII mensis Augusti anno MCMXXXVI sunt:

1. Maurus Palazuelos Maruri (Abel Angelus), O.S.B., sacerdos, natus in *Peñacastillo*, Cantabriae, die XXVI mensis Octobris anno MCMIII.

2. Honoratus Suárez Riu (Antonius), O.S.B., sacerdos, natus in *Torres del Obispo*, Oscae, die V mensis Februarii anno MCMII.

3. Leander Cuesta Andrés (Ioannes), O.S.B., sacerdos, natus in *Rupelo*, in regione Burgensi, die XXXI mensis Maii anno MDCCCLXX.

4. Raimundus Lladós Salud (Antonius), O.S.B., sacerdos, natus in *Lluçars*, Illerdae, die XV mensis Decembris anno MDCCCLXXXI.

5. Laurentius Sobrevía Cañardo (Turibius), O.S.B., sacerdos, natus Oscae, die XVI mensis Aprilis anno MDCCCLXXIV.

6. Iacobus Pardo López, O.S.B., sacerdos, natus in Palacios de *Benaver*, in regione Burgensi, die XXV mensis Iulii anno MDCCCLXXXI.

7. Ferdinandus Salinas Romeo, O.S.B., sacerdos, natus in *Pozán de Vero*, Oscae, die XXXI mensis Maii anno MDCCCLXXXIII.

8. Dominicus Caballé Brú (Iacobus), O.S.B., sacerdos, natus in *Vilalba dels Arcs* in regione Tarraconensi, die XXV mensis Maii anno MDCCCLXXXIII.

9. Angelus Fuertes Boira (Antonius), O.S.B., frater, natus Caesaraugustae, die II mensis Augusti anno MDCCCLXXXIX.

10. Hildefonsus Fernández Muñiz (Iulius), O.S.B., sacerdos, natus in Muros de Nalón, in provincia Asturiae, die XXIV mensis Iulii anno MDCCCXCVII.

11. Anselmus Palau Sin (Marianus), O.S.B., sacerdos, natus in *Torres del Obispo*, in provincia Oscae, die IX mensis Augusti anno MCMII.

12. Ramirus Sanz de Galdeano Mañeru (Raimundus), O.S.B., sacerdos, natus in *Villatuerta*, in provincia Navarrae, die XXX mensis Augusti anno MCMX.

13. Rosindus Donamaría Valencia (Martinus), O.S.B., subdiaconus, natus in *San Martín de Unx*, in provincia Navarrae, die III mensis Novembris anno MCMIX.

14. Laurentius Ibáñez Caballero (Leontius), O.S.B., sacerdos, natus in *Cubillejo de Lara*, in regione Burgensi, die XI mensis Septembris anno MCMXI.

15. Aurelius Boix Cosials (Angelus Carmelus), O.S.B., sacerdos, natus in *Pueyo de Marguillén*, in provincia Oscae, die II mensis Septembris anno MCMXIV.

Martyrium quoque subierunt, aliis locis aliisque diebus, hi monachi eiusdem monasterii:

16. Vincentius Burrel Enjuanes, O.S.B., frater, natus in *Juseu*, in provincia Oscae, die XXVIII mensis Decembris anno MDCCCXCVI, occisus die XXVI mensis Iulii anno MCMXXXVI in *Barbastro*, Oscae.

17. Laurentius Santolaria Ester, O.S.B., natus in *Torres de Alcanadre*, in provincia Oscae, die XX mensis Aprilis anno MDCCCLXXII, occisus die V mensis Augusti anno MCMXXXVI in *Cantera*, prope locum ortus supradictum.

18. Marianus Sierra Almázor, O.S.B., sacerdos, natus in *Alquézar*, in provincia Oscae, die XXV mensis Februarii anno MDCCCLXIX, in coemeterio oppidi vulgo *Barbastro,* in provincia Oscae, occisus die IX mensis Augusti anno MCMXXXVI.

Fama martyrii horum monachorum protinus diffusa est atque perduravit in dies. Quapropter inchoata est Inquisitio dioecesana apud Curiam Episcopalem Barbastrensem, quam causam validam recognovit Congregatio de Causis Sanctoram die XXV mensis Februarii anno MM. Consultores deinde

Theologi, Peculiari in Congressu diei XXIII mensis Iunii anno MMX congregati, votum favorabile protulerunt de martyrio, quod votum Patres Cardinales atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die XXI mensis Martii anno MMXIII habita, confirmaverunt. Ideo Nos die III mensis Iunii eiusdem anni iussimus ut Congregatio de Causis Sanctoram decretum super martyrio adscriberet et statuimus ut beatificationis ritus die XIII mensis Octobris anno MMXIII in urbe Tarraconensi Hispaniae celebraretur.

Hodie igitur, Tarracone in Hispania, de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctoram, textum Litterarum Apostolicaram legit, quibus Nos Venerabiles Dei Servos Maurum Palazuelo Maruri et XVII Socios ex Ordine Sancti Benedicti in Beatoram numeram adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu García Burillo, Episcopi Abulensis, Alfonsi Milián Sorribas, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Aloisii S.R.E. Cardinalis Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Marii Iceta Gavicagogeascoa, Episcopi Flaviobrigensis, Iosephi Emmanuelis Lorca Planes, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Demetrii Fernández González, Episcopi Cordubensis, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Ioannis Piris Frígola, Episcopi Ilerdensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Iesu Stephani Catalá Ibáñez, Episcopi Malacitani, Salvatoris Giménez Valls, Episcopi Minoricensis, Attilani Rodríguez Martínez, Episcopi Seguntini-Guadalaiarensis, Iacobi Pujol Balcells, Archiepiscopi Tarraconensis, Iosephi Angeli Saiz Meneses, Episcopi Terrassensis, Caroli Emmanuelis Escribano Subías, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Braulii Rodriguez Plaza, Archiepiscopi Toletani, Henrici Benavent Vidal, Episcopi Dertosensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servi Dei:

— Iosephus Maximus Moro Briz et IV Socii, presbyteri dioecesani;

— Maurus Palazuelos Maruri et XVII Socii, ex Ordine Sancti Benedicti;

— Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii, e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, necnon Sebastianus Llorens Telarroja, laicus;

— Maria a Monte Serrato (in saeculo: Iosepha Maria Columnaris García Solanas) et VIII Sociae, religiosae professae Instituti Minimarum Discalceatarum Sancti Francisci de Paula, necnon Lucretia García Solanas, laica et vidua;

— Mauritius (in saeculo: Alexander) Íñiguez de Heredia Alzola et XXIII Socii, religiosi professi ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo;

— Iosephus Guardiel Pujol, presbyter dioecesanus;

— Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solis, presbyteri professi ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

— Antonius Faúndez López, presbyter, et unus Socius, professi ex Ordine Fratrum Minorum, necnon duo presbyteri dioecesani;

— Hermenegildus ab Assumptione B.M.V. (in saeculo: Hermenegildus Iza y Aregita) et V Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

— Carmelus Maria Moyano Linares et IX Socii, presbyteri professi ex Ordine Carmelitarum;

— Iosephus Xavier Gorosterratzu et V Socii, e Congregatone Sanctissimi Redemptoris;

— Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, necnon III presbyteri dioecesani, unus seminarii alumnus et unus laicus;

— Victoria a Iesu (in saeculo: Francisca Agnes Maria ab Antiqua) Valverde González, religiosa Pii Instituti Calasanctiani Filiarum a Divina Pastora;

— Salvius Huix Miralpeix, Episcopus Illerdensis;

— Iosephus Nadal i Guiu et Iosephus Jordán Blecua, presbyteri dioecesani;

— Ioannes a Iesu (in saeculo: Vilaregut Farré) et III Socii, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon Paulus Segalá Solé, presbyter dioecesanus;

— Marianus Alcalá Pérez et XVIII Socii, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum;

— Chrysanthus (in saeculo: Casimirus González García), Aquilinus, Cyprianus Iosephus et LXIII Socii, ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis, necnon Raimundus Aemilianus Hortelano Gómez et Iulianus Aguilar Martín, laici;

— Emmanuel a Sacra Familia (in saeculo: Emmanuel Sanz Domínguez), presbyter professus et reformator Ordinis Sancti Hieronymi;

— Andreas a Palazuelo (in saeculo: Michael Franciscus González González) et XXXI Socii, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum;

— Theophilus Fernández de Legaria Goñi et IV Socii, presbyteri professi e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris;

— Albertus Maria Marco Alemán et VIII Socii, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia, necnon Augustinus Maria García Tribaldos et XV Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum;

— Orentius Aloisius (in saeculo: Antonius Sola Garriga) et XVIII Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonius Mateo Salamero, presbyter dioecesanus, et Iosephus Gorostazu Labayen, laicus;

— Melchiora ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociae, e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul;

— Aurelia (in saeculo: Clementina) Arambarri Fuente et III Sociae, religiosae professae Congregationis Servarum Mariae Ministrantium Infirmis;

— Maria Assumpta (in saeculo: Iulianna González Trujillano) et II Sociae, religiosae professae Congregationis Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris;

— Ioannes Huguet Cardona, presbyter dioecesanus;

— Iosephus Maria Ruiz Cano, Iesus Hannibal Gómez Gómez, Thomas Cordero Cordero et XIII Socii, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.;

— Emmanuel Borrás i Ferré, Episcopus Auxiliaris Tarraconensis, Agapitus Modestus (in saeculo: Modestus Pamplona Falguera), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, et CXLV Socii, presbyteri et Seminarii alumni dioecesani, necnon religiosi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ex Ordine Sancti Benedicti, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V., e Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio;

— Fortunatus Velasco Tobar et XIII Socii, e Congregatione Missionis;

— Ioachimus Jovaní Marín et XIV Socii, e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu;

— Richardus Gil Barcelón, presbyter professus e Congregatione Parvi Operis a Divina Providentia, necnon Antonius Arrué Peiró, laicus;

— Iosepha Martínez Pérez et XI Sociae, e Congregatione Filiarum a Caritate, necnon Dolores Broseta Bonet, laica;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt ad testimonium perhibendum Domino Iesu, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero per has Litteras decrevimus et nunc et in posterum firma esse volumus, rebus quibuslibet contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo piscatoris, die XIII mensis Octobris, anno MMXIII Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 21.092

II

Venerabili Dei Servo Iosepho Gabrieli del Rosario Brochero presbytero caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Nolite sperare in violentia et in rapina nolite decipi; divitiae si affluant, nolite cor apponere. Semel locutus est Deus, duo haec audivi: quia potestas Deo est, et tibi, Domine, misericordia; quia tu reddes unicuique iuxta opera sua» (*Ps* 62, 11-13).

Totum se Dei voluntati, ut instrumentum, commisit Venerabilis Dei Servus et id propositum per totam vitam tenuit, qui, quodcumque agebat, summam divinam mercedem est lucratus et, cum Domini amorem inter homines diffunderet, eiusdem particeps fuit.

Die XVI mensis Martii anno MDCCCXL Sanctae Rosae de Rio Primero, apud Cordubam in Argentina pientissima ex familia ortus est, quae exemplo in virtutibus fideique principiis eum instituit. Anno MDCCCLVI cum flagranter vocationem perciperet, seminarium est ingressus et die IV mensis Novembris anno MDCCCLXVI sacris ordinibus est auctus. Prima sua pastoralia munia apud ecclesiam Cathedralem Cordubensem gessit. Studia produxit, donec doctoris gradum in philosophia consequeretur, doctrina philosophica pellectus, quam Societatis Iesu sodales modo reversi Cordubam restituerunt. Studiorum exinde praefectus apud Seminarium Maius electus est. Anno MDCCCLXIX Sancti Alberti Cordubae est nominatus parochus, cui lata urbis pars coniungebatur. Impensam operam dedit Evangelio nuntiando populoque instituendo, sancti Ignatii exercitationibus spiritalibus usus, quibus complures fideles interfuerunt, et sic multi ad fidem sunt conversi. Dei Servus in socialibus materialibusque rebus territorium sibi demandatum promovendum curavit, templa, cappellas, ruris scholas aedificando atque vias illius loci in montibus sternendo. In primis exercitationum spiritalium domum condidit, cui duo domicilia addidit, alterum pro religiosis mulieribus, alterum pro sacerdotibus. Multos annos sine intermissione gregem sibi commissum curavit, complura patrando ut cresceret ac spiritale materialeque bonum proseque-

retur. Anno MCMVIII propter locorum insalubritatem et aegrotorum propinquitatem, spreto periculo ac Domini vineae studiosus, lepra est correptus. Sic parochi munus deponere debuit, eodem tamen fervore suam perducens missionem. Die XXVI mensis Ianuarii anno MCMXIV in oppido *Villa del Tránsito* apud Cordubam de hoc mundo demigravit.

Eius sanctitatis fama perstante, die XVIII mensis Iulii anno MCMLXXIV apud dioecesim Cordubensem in Argentina Processus Ordinarius de eiusdem sanctitate est actus. Die II mensis Februarii anno MMIV Consultores Theologi, in Peculiari Congressione coadunati favens suffragium tulerunt atque idem iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die II mensis Aprilis anno MMIV, ita ut eius virtutes per Decretum diei XIX mensis Aprilis anno MMIV, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II declararentur heroum in modum exercitae. Beatificationis causa asserta sanatio exhibita est, quam Medici Consultores die X mensis Maii anno MMXII ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Theologi Consultores, in Congressione Peculiari coadunati die VII mensis Iunii anno MMXII Venerabilis Dei Servi intercessioni eam tribuerunt et idem iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VI mensis Novembris anno MMXII. Summus Pontifex Benedictus XVI die XX mensis Decembris anno MMXII facultatem fecit ut Congregatio de Causis Sanctorum ipsum Decretum evulgaret atque statuit ut beatificationis ritus in oppido *Villa Cura Brochero,* Cordubae in Argentina die XIV mensis Septembris anno MMXIII ageretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Iosephum Gabrielem del Rosario Brochero adscribimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Caroli Iosephi Ñáñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, et Iacobi Olivera, Episcopi Crucis Axeatae, nec non plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Iosephus Gabriel del Rosario Brochero, presbyter dioecesanus, fidelis Evangelii minister, Christi dilectionis in pauperes testis, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die sexta decima mensis Martii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui eximias intrepidae fidei testificationes exhibuit, cum suam vitam inpenderet in beneficium fidelium et in salutarem Evangelii veritatem demonstrandam. Quae omnia doctus, actuosus, assidua precatione aeger, usque egit. Exoptamus igitur ut eximia eius exempla magno sint hominibus qui nunc sunt emolumento, quo ipsi Christi vultum clarius conspiciant.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Septembris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status

✠ PETRUS PAROLIN
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 1.143

III

Venerabilibus Servis Dei Richardo Gil Barcelón et Antonio Arrué Peiró Beatorum Martyrum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea et in nomine tuo levabo manus meas» (*Ps* 63, 4-5).

Gaudium et pax, quibus pleni Venerabiles Servi Dei Richardus Gil Barcelón et Antonius Arrué Peiró ad martyrium pervenerunt, coronam constituebant laudis Domini quam illi cotidie in sequela Christi offerebant atque in testificatione suae fidei.

Pater Richardus Barcelón die XXVII mensis Octobris anno MDCCCLXXIII in loco v. *Manzanera*, provinciae Terulensis, in Hispania, natus est. Anno MDCCCLXXXVI in Seminarium ingressus est. Anno MDCCCXCIII nomen militiae dedit atque in Philippinas missus est, ubi eodem tempore Ordinis Fratrum Praedicatorum Facultatem Theologicam frequentavit et die XXIV mensis Septembris anno MCMIV sacerdos ordinatus est. Anno MCMV in Hispaniam reversus, vitam religiosam suscepit apud memoratum Ordinem, sed professionem non emisit. Semper suam definitivam quaerens vocationem, etiam Capuccinos Tertiarios frequentavit et, aliquos per menses, vitam duxit eremiticam. Anno MCMIX decrevit Romam petere, in simplicitate et humilitate peregrinatoris, in prece et paenitentia. Hic Venerabilis Servus Dei convenit sanctum Aloisium Orione, qui eum suum in Institutum recepit, in Parvum videlicet Opus Divinae Providentiae, atque eum in novitiatum misit Dertonae, ubi postea vota nuncupavit religiosa. Anno MCMX capellanus fuit Messanae; ab anno MCMXI ad annum MCMXII assignatus est orphanotrophio sancti Prosperi in urbe Rheginensi; ab anno MCMXIII ad annum MCMXXIII ministerium Cassani exercuit. Ab anno MCMXXIII ad annum MCMXXIV fuit in Monte Mario, Romae, primum apud orphanotrophium et deinde in paroecia suburbana viae Appiae. Multis muneribus expletis, anno MCMXXX sanctus Aloisius Orione misit eum in Hispaniam ut ibi Domum Instituti aperiret.

Sic pater Richardus opera caritatis pro pauperibus Valentiae explere coepit, in difficultatibus perseverans et cum multis sacrificiis, sacerdotes loci in eorum ministerio iuvans. Vexatio Marxistarum in Ecclesiam semper acrior fiebat, tamen Servus Dei, quem iuvenis laicus Antonius Arrué Peiró iuvabat, semper ianuam domus apertam habuit, omnes cibo vel domo egentes accipiens, spiritali modo illos qui patiebantur consolans.

Venerabilis Servus Dei Antonius Arrué Peiró, die IV mensis Aprilis anno MCMVIII in oppido *Bilbilitano* apud Caesaraugustam natus, alumnus fuit in collegio Maristarum in schola primaria, ubi congruam necessariamque obtinuit doctrinam; deinde patrem iuvit carpentarium atque in officina funeraria. Anno MCMXXVIII mortuus est pater Antonii qui in perdifficilem condicionem psychologicam cecidit, etiamsi iuvenis humilis mansit, bonus et in opera diligens. Anno MCMXXXI Valentiae a patre Richardo receptus est cui desiderium manifestavit se consecrandi Domino in Parvo Opere Divinae Providentiae. Propositum eius vera vocatio fuisse videbatur, constanti confirmata studio in vita christiana et caritativa communitatis. Dispositum est pro eo iter in Italiam ut inciperet congruam institutionem religiosam: iter tamen numquam perfectum est ob invexationes semper asperiores in Ecclesiam.

Licet hostilitates in religionem semper fortiores fierent, Venerabiles Servi Dei, in operibus caritatis coniuncti, sua in apostolatus navitate perseverabant, conantes, quantum fieri potuit, prudentiam in opera demonstrare, numquam renuntiantes propositis Christi asseclarum. Milites communistae bis domum Servorum Dei venerunt, sed eos detinere ob populi oppositionem non potuerunt. Tertium postremo die III mensis Augusti anno MCMXXXVI venerunt. Domi tantummodo patrem Richardum invenerunt qui ab illis captus est et, considerata eius magna paupertate, conabantur eum in propriam aciem amplecti. Rogaverunt igitur eum ut clamaret *Vivat respublica*, sed Servus Dei, renuens, vocavit: *Vivat Christus Rex*. Antonius, cum comprehensionem patris Richardi novisset, statim ad milites venit ut eandem sustineret sortem. Sequenti die, e custodia in locum appellatum *El Saler* educti sunt, ubi, post adhortationem ut clamarent *Vivat F.A.I.* (scilicet Foederatio Anarchista Internationalis), illi, sine haesitatione, responderunt: *Vivat Christus Rex*, dum pater Richardus in manibus crucem amplectebatur. Postquam crudeliter sunt occisi.

Martyrii fama effecit ut Archiepiscopus Valentinus Processum Informativum initiaret, qui a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto die XIX mensis Novembris anno MCMXCIX validus recognitus est. Consultores Theologi in Congressu peculiari die XXVIII mensis Septembris anno MMX sententiam faventem de martyrio dederunt et Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die XXIX mensis Octobris anno MMXII congregati, censuerunt verum martyrium mortem Venerabilium Servorum Dei fuisse. Benedictus XVI, Veneratus Decessor Noster, die XX mensis Decembris anno MMXII, Congregationi de Causis Sanctorum facultatem dedit ut Decretum super martyrio promulgaret atque decrevit ut sollemnis Beatificationis ritus Tarracone, in Hispania, die XIII mensis Octobris anno MMXIII perageretur. Demum Nosmet Ipsi, approbantes quod a Nostro Decessore decretum iam erat, Litteras Apostolicas subsignavimus.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, Tarracone textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabiles Servos Dei Richardum Gil Barcelón et Antonium Arrué Peiró adscribimus:

Nos vota Fratrum Nostrorum Iesu García Burillo, Episcopi Abulensis, Alfonsi Milián Sorribas, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Aloisii S.R.E. Cardinalis Martínez Sistach, Archiepiscopi Barcinonensis, Marii Iceta Gavicagogeascoa, Episcopi Flaviobrigensis, Iosephi Emmanuelis Lorca Planes, Episcopi Carthaginensis in Hispania, Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Civitatis Regalensis, Demetrii Fernández González, Episcopi Cordubensis, Iosephi Mariae Yanguas Sanz, Episcopi Conchensis, Raimundi del Hoyo López, Episcopi Giennensis, Ioannis Piris Frígola, Episcopi Illerdensis, Antonii Mariae S.R.E. Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, Iesu Stephani Catalá Ibáñez, Episcopi Malacitani, Salvatoris Giménez Valls, Episcopi Minoricensis, Attilani Rodríguez Martínez, Episcopi Seguntini-Guadalaiarensis, Iacobi Pujol Balcells, Archiepiscopi Tarraconensis, Iosephi Angeli Saiz Meneses, Episcopi Terrassensis, Caroli Emmanuelis Escribano Subías, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Braulionis Rodríguez Plaza, Archiepiscopi Toletani, Henrici Benavent Vidal, Episcopi Dertosensis, Caroli Osoro Sierra, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis

de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Servi Dei:

— Iosephus Maximus Moro Briz et IV Socii, presbyteri dioecesani;

— Maurus Palazuelos Maruri et XVII Socii, ex Ordine Sancti Benedicti;

— Iacobus Puig Mirosa et XVIII Socii, e Congregatione Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, necnon Sebastianus Llorens Telarroja, laicus;

— Maria a Monte Serrato (in saeculo: Iosepha Maria Columnaris García Solanas) et VIII Sociae, religiosae professae Instituti Minimarum Discalceatarum Sancti Francisci de Paula, necnon Lucretia García Solanas, laica et vidua;

— Mauritius (in saeculo: Alexander) Íñiguez de Heredia Alzola et XXIII Socii, religiosi professi ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo;

— Iosephus Guardiel Pujol, presbyter dioecesanus;

— Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solis, presbyteri professi ex Ordine Fratrum Praedicatorum;

— Antonius Faúndez López, presbyter, et unus Socius, professi ex Ordine Fratrum Minorum, necnon duo presbyteri dioecesani;

— Hermenegildus ab Assumptione B.M.V. (in saeculo: Hermenegildus Iza y Aregita) et V Socii, ex Ordine Sanctissimae Trinitatis;

— Carmelus Maria Moyano Linares et IX Socii, presbyteri professi ex Ordine Carmelitarum;

— Iosephus Xavier Gorosterratzu et V Socii, e Congregatone Sanctissimi Redemptoris;

— Emmanuel Basulto Jiménez, Episcopus Giennensis, necnon III presbyteri dioecesani, unus seminarii alumnus et unus laicus;

— Victoria a Iesu (in saeculo: Francisca Agnes Maria ab Antiqua) Valverde González, religiosa Pii Instituti Calasanctiani Filiarum a Divina Pastora;

— Salvius Huix Miralpeix, Episcopus Illerdensis;

— Iosephus Nadal i Guiu et Iosephus Jordán Blecua, presbyteri dioecesani;

— Ioannes a Iesu (in saeculo: Vilaregut Farré) et III Socii, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon Paulus Segalá Solé, presbyter dioecesanus;

— Marianus Alcalá Pérez et XVIII Socii, ex Ordine Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum;

— Chrysanthus (in saeculo: Casimirus González García), Aquilinus, Cyprianus Iosephus et LXIII Socii, ex Instituto Fratrum Maristarum a Scholis, necnon Raimundus Aemilianus Hortelano Gómez et Iulianus Aguilar Martín, laici;

— Emmanuel a Sacra Familia (in saeculo: Emmanuel Sanz Domínguez), presbyter professus et reformator Ordinis Sancti Hieronymi;

— Andreas a Palazuelo (in saeculo: Michael Franciscus González González) et XXXI Socii, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum;

— Theophilus Fernández de Legaria Goñi et IV Socii, presbyteri professi e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon adorationis perpetuae Ss. Sacramenti altaris;

— Albertus Maria Marco Alemán et VIII Socii, ex Ordine Carmelitarum ab Antiqua Observantia, necnon Augustinus Maria García Tribaldos et XV Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum;

— Orentius Aloisius (in saeculo: Antonius Sola Garriga) et XVIII Socii, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Antonius Mateo Salamero, presbyter dioecesanus, et Iosephus Gorostazu Labayen, laicus;

— Melchiora ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociae, e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul;

— Aurelia (in saeculo: Clementina) Arambarri Fuente et III Sociae, religiosae professae Congregationis Servarum Mariae Ministrantium Infirmis;

— Maria Assumpta (in saeculo: Iulianna González Trujillano) et II Sociae, religiosae professae Congregationis Missionariarum Franciscalium a Matre Divini Pastoris;

— Ioannes Huguet Cardona, presbyter dioecesanus;

— Iosephus Maria Ruiz Cano, Iesus Hannibal Gómez Gómez, Thomas Cordero Cordero et XIII Socii, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V.;

— Emmanuel Borrás i Ferré, Episcopus Auxiliaris Tarraconensis, Agapitus Modestus (in saeculo: Modestus Pamplona Falguera), ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, et CXLV Socii, presbyteri et Seminarii alumni dioecesani, necnon religiosi ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, ex Ordine Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, ex Ordine Sancti Benedicti, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, e Congregatione Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B.M.V., e Tertio Ordine Carmelitarum a Magisterio;

— Fortunatus Velasco Tobar et XIII Socii, e Congregatione Missionis;

— Ioachimus Jovaní Marín et XIV Socii, e Sodalitate Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu;

— Richardus Gil Barcelón, presbyter professus e Congregatione Parvi Operis a Divina Providentia, necnon Antonius Arrué Peiró, laicus;

— Iosepha Martínez Pérez et XI Sociae, e Congregatione Filiarum a Caritate, necnon Dolores Broseta Bonet, laica;

qui in Hispania vicesimo saeculo sanguinem suum effuderunt ad testimonium perhibendum Domino Iesu, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die sexta Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Dum quidem illorum conspicimus vitam et martyrium, ad altiorem usque imitationem Christi incitamur et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decima tertia mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
loco Secretarii Status
✠ Petrus Parolin
Archiepiscopus tit. Aquipendiensis

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 48.077

IV

Dei Servis Melchiorae ab Adoratione Cortés Bueno et XIV Sociis e Societate Filiarum a Caritate Sancti Vincentii de Paul Beatorum Martyrum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Haec est enim caritas Dei, ut mandata eius servemus; et mandata eius gravia non sunt, quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum; et haec est victoria, quae vicit mundum: fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei?» (*1 Io* 5, 3-5).

tenant compte des principes internationalement reconnus en matière de liberté religieuse;

tenant compte pour le Saint-Siège, Autorité suprême de l'Église catholique, des Documents du Concile Œcuménique Vatican II et du droit canonique, et pour la République du Tchad, des normes constitutionnelles en vigueur, notamment le caractère laïc de l'État;

considérant que la présence et l'action de l'Église catholique sur le territoire du Tchad depuis plus de quatre-vingt ans ont respecté les Autorités civiles et traditionnelles, la diversité culturelle et la pluralité religieuse du pays, et ont contribué au développement spirituel, social, éducatif et culturel du peuple tchadien;

et désireux de fixer le cadre juridique des relations entre l'Église catholique et l'État tchadien, sont convenus de ce qui suit:

Article 1

De la personnalité juridique de l'Eglise catholique et des institutions ecclésiastiques

§ 1. La République du Tchad reconnaît la personnalité juridique à caractère public que l'Église catholique possède par nature.

§ 2. La République du Tchad reconnaît aussi la personnalité juridique publique de toutes les institutions de l'Église catholique, ci-après dénommées institutions ecclésiastiques, qui possèdent cette prérogative en droit canonique: Conférence épiscopale, Provinces ecclésiastiques, Archidiocèses, Diocèses, Prélatures territoriales ou personnelles, Vicariats et Préfectures apostoliques, Administrations apostoliques érigées de façon stable, Missions *sui iuris*, Ordinariat militaire et Ordinariat pour les fidèles d'autres rites, Abbayes territoriales, Paroisses, Instituts de vie consacrée et Sociétés de vie apostolique. Toutes ces institutions-ci restent régies par leurs règles propres.

§ 3. Lorsque le Saint-Siège ou l'Eglise catholique au Tchad érigent, modifient ou suppriment les institutions ecclésiastiques résidentes dans le pays, concernées par le § 2 du présent article, ils en informent aussitôt l'Etat tchadien, qui en prend acte.

§ 4. L'Église catholique peut librement ériger, modifier ou supprimer d'autres institutions ecclésiastiques non mentionnées dans le § 2 du présent article. Il s'agit des institutions liées à sa mission spirituelle et à ses activités éducatives, sanitaires, de développement et de communication sociale, conformément aux articles 6, 7, 8 et 10 ci-dessous. Leur reconnaissance aura lieu au moment de leur notification à l'État tchadien, qui en prend acte.

§ 5. Toutes les institutions ecclésiastiques bénéficient des droits dont bénéficient les institutions reconnues d'utilité publique en droit tchadien et peuvent acquérir, posséder, disposer et aliéner des biens mobiliers et immobiliers ou des droits patrimoniaux, percevoir dons et legs, et créer des fondations dans le cadre des législations canonique et tchadienne.

§ 6. Il appartient exclusivement à l'Autorité ecclésiastique de fixer librement et conformément à la discipline canonique, les lois et règlements de ses institutions dans le domaine de sa compétence, même pour l'attribution du patrimoine d'une institution ecclésiastique en cas de démembrement ou suppression.

Article 2

Des nominations, transferts, destitutions et renonciations

§ 1. Toutes les nominations ecclésiastiques ainsi que l'attribution des charges ecclésiastiques sont exclusivement réservées à l'Église catholique, en conformité avec les normes du droit canonique.

§ 2. La nomination, le transfert, la destitution et l'acceptation de la renonciation des Évêques appartiennent exclusivement au Saint-Siège.

§ 3. Avant la publication de la nomination d'un Evêque diocésain ou d'une personne à lui assimilée selon le droit canonique, le Saint-Siège fera connaître confidentiellement le nom de l'élu à l'État tchadien.

Article 3

De la liberté de profession de foi, de culte, d'action et de communication

§ 1. La République du Tchad garantit aux fidèles catholiques la liberté de professer publiquement leur foi.

§ 2. La République du Tchad garantit à l'Église catholique la liberté de s'organiser selon le droit canonique, d'accomplir sa mission pastorale et d'exercer le culte.

§ 3. L'Évêque diocésain ou la personne à lui assimilée selon le droit canonique, dans l'exercice de sa mission, pourra inviter des prêtres, membres d'Instituts religieux et laïcs n'ayant pas la nationalité tchadienne à offrir leur service pastoral sur le territoire de sa circonscription ecclésiastique et demander, en leur nom, le visa permanent ou temporaire, selon les cas.

§ 4. La République du Tchad garantit à l'Église catholique, tant à ses fidèles en général qu'aux responsables et aux membres des institutions ecclésiastiques, la liberté de communiquer et de se maintenir en relation avec le Saint-Siège, avec les Conférences Épiscopales d'autres pays, tout comme avec les personnes et organismes présents à l'intérieur ou à l'extérieur du pays.

Article 4

Des lieux et des objets de culte

§ 1. Dans le cadre de sa législation, la République du Tchad assure la protection des lieux de culte de l'Église catholique et leurs dépendances et annexes, et aussi les symboles, images et objets de culte contre toute violation, mépris ou utilisation non sacrée.

§ 2. Les lieux de culte et leurs dépendances et annexes ne peuvent être destinés à d'autres usages, de façon permanente ou temporaire, que pour de graves motifs et avec l'accord explicite de l'Évêque diocésain ou de la personne à lui assimilée selon le droit canonique dont ils dépendent.

§ 3. Aucun édifice ou objet destiné au culte catholique ne peut être détruit, occupé, transporté, faire l'objet de travaux, réquisitionné, exproprié ou être destiné par l'État et les organismes publics à d'autres finalités sans l'accord préalable de l'Autorité ecclésiastique compétente en vue aussi de l'indemnisation correspondante. Aucune utilisation non religieuse ne sera pratiquée sans que les biens concernés ne soient privés de leur caractère religieux par l'Autorité ecclésiastique.

Article 5

Des propriétés et des constructions

§ 1. La République du Tchad facilitera l'inscription dans le registre foncier de toutes les propriétés des différentes institutions ecclésiastiques.

§ 2. L'Église catholique a le droit de construire des lieux de culte, des dépendances, des annexes et d'autres édifices, de les agrandir et d'en modifier la configuration.

§ 3. Tenant compte de la finalité religieuse et sociale des propriétés des institutions ecclésiastiques, elles sont exonérées de tout impôt foncier.

Article 6

Des institutions éducatives et sanitaires

L'Église catholique a le droit de créer et gérer des institutions éducatives et sanitaires selon les dispositions particulières, fixées par des accords bilatéraux qui seront conclus entre les Hautes Parties contractantes. Ces accords remplaceront les respectives conventions existantes entre l'Etat tchadien et la Conférence Épiscopale du Tchad.

Article 7

Des institutions de développement et d'assistance sociales

L'Église catholique a le droit de créer et gérer des institutions de développement et d'assistance aux plus démunis, aux personnes en détresse ou vulnérables, et pour la promotion de la dignité humaine. Des dispositions particulières seront fixées par un accord bilatéral qui sera conclu entre les Hautes Parties contractantes.

Article 8

Des moyens de communication sociale

§ 1. L'Église catholique a la liberté d'éditer, de publier, de divulguer, de diffuser et de vendre livres, journaux, revues et matériel audiovisuel ou multimédia et en général la liberté d'organiser toute activité étroitement liée à sa mission spirituelle.

§ 2. Il est garanti à l'Église catholique un libre accès aux moyens publics et privés de communication sociale: journaux, radio, télévision et moyens télématiques, et le droit de créer et de gérer directement ses propres moyens de communication sociale, conformément au droit canonique et à la législation civile en vigueur.

§ 3. Des dispositions particulières seront fixées par un Accord bilatéral qui sera conclu entre les Hautes Parties contractantes.

Article 9

De la participation de l'État aux œuvres de bien commun

La République du Tchad et l'Autorité ecclésiastique compétente fixeront, d'un commun accord, la participation financière que l'État tchadien pourrait, dans la limite de ses possibilités budgétaires, fournir aux institutions ecclésiastiques qui œuvrent au service du bien commun de la société, dans les domaines prévus dans les articles 6, 7, et 8.

Article 10

Des services pastoraux dans les institutions publiques ou privées

§ 1. La République du Tchad reconnaît et garantit à l'Église catholique le droit d'exercer ses responsabilités pastorales envers ses fidèles engagés dans les forces armées et les forces de défense et de sécurité, ainsi que ceux qui séjournent dans des établissements pénitentiaires et hospitaliers, comme dans les instituts d'assistance médicale et sociale, de nature publique ou privée.

§ 2. Les activités pastorales exercées dans les institutions publiques évoquées au § 1 du présent article, sauf pour ce qui pourrait concerner la

création d'un éventuel Ordinariat Militaire, feront l'objet d'un accord entre l'Etat tchadien et la Conférence Épiscopale du Tchad. Avant la signature de cet accord la Conférence Épiscopale du Tchad demandera l'approbation du Saint-Siège.

Article 11

Des associations de fidèles

La République du Tchad reconnaît et protège le droit de fidèles catholiques de s'associer selon les normes du droit canonique pour des activités spécifiques de la mission de l'Église, tout en étant soumises à la législation tchadienne des associations en ce qui concerne leur personnalité juridique civile et les aspects civils de leurs activités.

Article 12

De la loi du travail

§ 1. Conformément aux prescriptions canoniques, l'Église catholique s'engage à respecter la loi tchadienne du travail par rapport à ses employés.

§ 2. Le lien existant entre les clercs ou les fidèles consacrés et les institutions ecclésiastiques est de caractère religieux et non contractuel au sens de la loi du travail.

§ 3. Les fidèles laïcs qui aident l'Eglise catholique dans les domaines apostolique, pastoral, liturgique, catéchétique, d'assistance, de promotion sociale ou similaires rendent ces services comme bénévoles, sauf en cas d'inscription comme employés, de contrat écrit de travail ou de bulletins de paye.

Article 13

Des activités lucratives

Toute activité lucrative d'une institution catholique ou d'une association de fidèles catholiques, canoniquement reconnue, aura comme unique but de soutenir les activités non lucratives de l'Église catholique, le clergé et les religieux et religieuses.

ARTICLE 14

Des procès judiciaires

§ 1. Pour toute dénonciation, information ou poursuite concernant un clerc, un religieux ou une religieuse, sur le fondement d'éventuels comportements incompatibles avec les lois pénales tchadiennes, les Autorités judiciaires feront connaître aussitôt à l'Évêque diocésain ou à la personne à lui assimilée selon le droit canonique du lieu du domicile de l'intéressé les motifs de telles procédures.

§ 2. Dans le cas d'un Évêque diocésain ou de la personne à lui assimilée selon le droit canonique, le Saint-Siège sera aussitôt informé.

§ 3. Le secret de la confession sacramentelle est absolu et inviolable. Le clerc ne peut faire l'objet d'aucune poursuite à cet effet.

§ 4. La responsabilité pénale pour les infractions commises par les clercs, fidèles consacrés et sujets laïcs, aussi bien œuvrant dans l'exercice de leur mission ou à la charge de l'Église catholique et de ses organismes ou instituts, est exclusivement personnelle et les peines conséquentes peuvent être infligées seulement aux personnes physiques qui les ont commises. Dans de tels cas, des dégâts conséquents aux infractions pénales répondent exclusivement les personnes physiques responsables avec leurs biens personnels.

ARTICLE 15

Des accords complémentaires

§ 1. Au présent Accord pourront s'adjoindre des accords complémentaires entre les Hautes Parties contractantes.

§ 2. Les matières d'intérêt commun qui demanderaient des solutions nouvelles ou complémentaires devront être étudiées par une commission mixte, créée à cet effet. Cette commission soumettra ses propositions à l'approbation des Autorités dont elle dépend.

§ 3. Toute éventuelle convention entre l'État tchadien ou ses différents Organes à tous les niveaux et la Conférence Épiscopale du Tchad ou les autres institutions ecclésiastiques respectera les termes du présent Accord.

Article 16

De l'interprétation et de l'application

Le Saint-Siège et la République du Tchad s'accordent pour régler par la voie diplomatique tous les différends qui pourraient surgir dans l'interprétation et dans l'application des dispositions contenues dans le présent Accord.

Article 17

Des situations préexistantes

Seules les situations juridiques, dérivant des accords préexistant de collaboration entre la République du Tchad et la Conférence Épiscopale du Tchad, non contraires au présent Accord, sont maintenues. La date de référence juridique des institutions ecclésiastiques déjà existantes est celle de leur érection canonique.

Article 18

De l'entrée en vigueur

Le présent Accord sera ratifié selon les procédures prévues par les règles propres aux Hautes Parties contractantes et entrera en vigueur dès l'échange des instruments de ratification.

Signé à N'Djaména, le 6 novembre 2013 en double original en langue française.

Pour le Saint-Siège	Pour la République du Tchad
Jude Thaddeus Okolo	*Moussa Faki Mahamat*
Jude Thaddeus Okolo	Moussa Faki Mahamat

Instrumenta ratihabitionis Conventionis inter Apostolicam Sedem atque Rempublicam Tzadianam constitutae, accepta et reddita mutuo fuerunt Nediamenae die XXII mensis Iunii anno MMXV, a quo ipso die Conventio vigere coepit ad normam articuli XVIII eiusdem Pactionis.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

GAUDISIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Margaritae a Sacro Corde Iesu (in saeculo: Virginiae de Brincat) Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium a Corde Iesu (1862-1952)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Amorem amemus! qui non amatur latens, amemus amorem! Quem et amantes, ut a quovis ametur patens ubicumque, curemus amorem».

Cuius filia fuit devota fidelisque assecla, qui ardorem caritatis cumulavit in animo atque a Deo sese «amore deperire» quaeritavit, sancti Francisci Assisiensis spiritum Mater Margarita a Sacro Corde cumulate effinxit et in eadem sententia nihil aliud fecit quam ipsius Seraphici Patris suspirium resultare illud: «Amorem amemus!».

Quod conversationis eius cardo fuit summaque spiritualitatis et apostolatus radix. Nam, flamma caritatis opera Instituti ab ea fundati summopere inflavit eiusdemque, ut victima amoris et expiationis fieret, intimius suffulsit voluntatem.

Serva Dei die 28 mensis Novembris anno 1862 in parvulo vico *Kercem* ad insulam Gaulum archipelagi Melitensis ex operosa agricolarum familia christiana pietate admodum informata nata est. Ad regenerationis fontem eodem die ortus ducta, Virginiae Iosephae Mariae Ioannae sumpsit nomina. Die 15 mensis Aprilis anno 1871, sacramentum Confirmationis et aliquibus diebus post Primam Communionem recepit. Iam inde ab adulescentia adeo vocationem ad vitam virginis sacratae sponsae Christi percepit, ut quattuordecim modo annos nata a confessario iam voti castitatis private profitendi haberet licentiam, quod initium fuit super viam perfectionis.

Die 8 mensis Decembris anno 1877, sodalis Consociationem Duodecim Stellarum Sacri Cordis Iesu ingressa est, quae iuvenes mulieres complectebatur operibus caritatis et catechesi tradendae iuxta spiritualitatis expiationis rationes vacantes. Hac ex consociatione, anno 1879, Reverendus Dominus Iosephus Diacono, presbyter adiutor, Parvum Opus Magistrarum e Tertio Ordine Sancti Francisci apud modestam domum civitatis Victoriae super insulam Gaulum inchoavit.

Die 15 mensis Augusti anno 1881, Virginia admissa quoque est, ut habitum religiosum intra novam illam parvam communitatem indueret. Exinde, in vitam simplicitatis et humilitatis, Beata Maria Virgine tamquam virtutum sumpta speculo, omnino concessit. Primis votis religiosis professis, die 15 mensis Augusti anno 1883, officio ministrae a secretis commissa est, in quo adeo prudentia et indefessa fide praestitit, ut pertinentibus ad surgentem institutionem aerumnis ipsa subsisteret.

Die 8 mensis Decembris anno 1887, post Constitutiones recognitas, Serva Dei vota perpetua professa est uti primitiae religiosarum ineuntis Congregationis, nomen sumens Margaritae a Sacro Corde. Fides et fortitudo praecipuae fuerunt virtutes, quibus ea fulsit, praesertim cum innumeras propter difficultates atque incommoda Reverendus Dominus Diacono novam exstincturus erat Congregationem: tum Mater Margarita huic consilio instanter fortiterque adversata est, omnia Operis suscipiens onera divinae tantum Providentiae confisa. Proinde, modo viginti septem annos nata electa est Superiorissa Generalis et Congregationi moderandae consuluit, quae iam e quattuor coniungebatur communitatibus, et in hoc munere exercendo, brevibus tantum interpositis moris, triginta amplius annos confirmata est.

Serva Dei virtutes suas humanitatis et spiritus quaesiit consummare, ut egregie Ecclesiae loci necessitatibus responderet, praesertim quoad christianam iuvenum institutionem ac familiarum morum provectum. Peculiari studio sacerdotes maxime coluit filialique pietate et obsequio gessit. Intra Institutum maternitatem suam spiritualem orationi oblationique expiatoriae Sacro Cordi Iesu innisam effudit et summo cum muneris sui officio filias paravit, ut ad vineam dominicam, peregrinae et pauperes sicuti verae sancti Francisci discipulae, mitterentur. Institutum citius crebruit atque Corcyram Siciliamque et Aethiopiam contigit.

Omnibus in adiunctis Mater Margarita auxilium invenit iugis —diurnae scilicet et nocturnae— orationis, cuius gratia praesentiam Dei admodum experiebatur. Anima insuper fuit substantialiter eucharistica et omnimodo enixa est, ut in unaquaque fundatione Sanctissimum Sacramentum adesset et Sorores ex precatione et eucharistica adoratione sollicitudinem valerent haurire Deo efferendo atque amando idoneam.

Vertices contemplationis attigit intimarumque rerum caelestium mysticarum contemplationum, ardentibus cordis eius sententiis testibus, quibus socias adhortabatur, dicens: «*Amoris fructus est quod saepius flagrari videor ... O si in oceanum infiniti amoris, aeterni amoris immergerimur illud! Adusque insaniam eum amemus!*».

Sponsali amori Iesu summa castitate cogitationum et operum consensit. Dei amantissima, eundem tamquam «amorem aeternum, omnipotentem et infinitum», «oceanum immensae bonitatis», «abyssum perpetuae mansuetudinis», «gremium paternum atque aeternum», «largitorem omnium bonorum», «misercordiam divinam et infinitam» intellexit. Pauperculi Assisiensis illius ingressa vestigiis, laetam et benignam paupertatem conversationis testimoniique sui et evangelici nuntii tradendi quasi magnam chartam fecit.

Summa fuit dilectio eius erga Summum Pontificem, quem genuina devotione fovit. Die 17 mensis Septembris anno 1921, in Audientia a Benedicto Papa XV concessa accepta est, ut Decretum Laudis Congregationis exciperet. Die 21 mensis Maii anno 1927, Mater Margarita Domum Christo Regi dicatam voto potita est in Urbe fundandi.

Mense Aprilis anno 1924, Superiorissae Generalis cessato munere, virtutes conversationis religiosae suae testata est communitatibus Domus Adorationis insula Melitae, Domus in civitate *Xaghra* insulae Gauli et Novitiatus in Urbe.

Anno 1940, gravi cordis infirmitate correpta est et reliquam vitam apud valetudinarii cubiculum Victoriae intra moenia Domus Matris instructum in parva cella prope cappellam degit. Novissimas dilecti sui Instituti hinc conspicere perseveravit, omnibus fidei et fortitudinis praebens testimonium. Deo propter omnia, quae ipsi concederat, pergrata, spem suam aluit advolandi ad Dominum, cui mane diei 22 mensis Ianuarii anno 1952 obviam prodiit.

Ob indesinentem eius et in dies progredientem sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Gaudisien-

sem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 14 mensis Iulii anno 1987 ad diem 22 mensis Ianuarii anno 2000, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 11 mensis Decembris anno 2000 probatae sunt.

Positione confecta, die 12 mensis Aprilis anno 2013 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Ianuarii anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Margaritae a Sacro Corde* (*in saeculo: Virginiae de Brincat*), *Fundatricis Instituti Sororum Franciscalium a Corde Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA seu TURRITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Elisabethae Sanna Christifidelis Laicae, Viduae, Tertiariae professae Ordinis Minorum S. Francisci, Sodalis Unionis Apostolatus Catholici a S. Vincentio Pallotti conditae (1788-1857)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Velim plenum caelum, vacuum purgatorium, clausum infernum».

Haec verba, a Serva Dei Elisabetha Sanna patri eius spirituali sancto Vincentio Pallotti recitata, altitudinem demonstrant eius animi, fervida fide animati atque magno apostolatus universalis desiderio. Totam per vitam illa se in indefatigabili immolabat ministerio ut beneficia maiori personarum numero praeberet.

Serva Dei in *Codrongianos*, intra fines Archidioecesis Turritanae, die 23 mensis Aprilis anno 1788 est nata, in familia rustica satis locupleti: pater munus etiam syndici istius pagi exercuit. Tres menses nata, variola est correpta atque capacitatem amisit brachia levandi, etiamsi ditibus difficulter uti valuit. Nulla accepit scolastica rudimenta, quod fuit illo tempore valde frequens, potissimum quod pertinet ad feminas; illiterata igitur mansit. Iuvenis viro nupsit bene de rebus oeconomicis constituto atque magnanimo et, quamvis infirma esset, potuit quinque filios generare et instituere. Iter matrimoniale valde harmoniose vixit, etiamsi iam ab adulescentia signa animadvertit religiosae vocationis. Postquam vidua mansit Tertio Ordini Franciscali adhaesit atque votum castitatis nuncupavit, exercitare pergens notionem spiritualis maternitatis erga puellas et mulieres suae terrae, minime neglectis domesticis rebus et administrandis camporum fundis.

Anno 1831, postquam alimento et curae filiorum prospiceret, navem conscendit peregrinationem in Terram Sanctam actura, sed, ob calamitosum traiectum, Romam tantummodo pervenit neque Sardiniam ob graves valetudinis perturbationes redire potuit. In Urbe professionem fecit franciscalem Tertii Ordinis atque se totam orationi dicavit et aegrotantium, pauperum pupillorumque ministerio, reticulum agens atque beneficientiae pauca sua lucra offerens. Inter primos nomen dedit Unioni Apostolatus Catholici sancti Vincentii Pallotti, quem providentiali modo cognovit ac veluti spiritualem moderatorem elegit.

Eius modesta domus sanctuarium fidei fuit et spiritualitatis. Serva Dei sollicita erat de pace in familiam ferenda, de peccatoribus ad rectam viam reducendis, de apparationibus pro ecclesia Sanctissimi Salvatoris in Unda procurandis. Eius spiritale iter non solum noverat usuales temptationes, sed etiam formas vexationis diabolicae: haud rare daemon ei turpissimis sub imaginibus apparebat, et nonnumquam ei gulam in actu suffocationis stringebat, provocans livores, extraordinariam inflationem vultus aliaque signa. Corporis morbis additae sunt desolationes, spirituales ariditates et calumniae ex parte illorum qui, in circumstantiis socialibus-politicis tempore Italicae Nationis restitutionis, se declarabant adversus Papam et Ecclesiam; Serva Dei tamen patienter et sereno animo omnia Domino concredidit in actu fiduciosae commissionis.

Peculiare omnino iter Servae Dei apparet, cuius vita variis in circumstantiis existentiae evenit. Testimonium christianum in familia secutus est status viduae qui pro Elisabetha novum incitamentum constituit ad munus apostolicum. Etiamsi multum passa est cum domum redire non posset, nulli periculo animum submisit, sed sciebat se Deo committere, novas condiciones accipere, aliis servire et fidelitatem erga praecepta Evangelii et Ecclesiae iugiter servare. Intensa fuit eius fides, alta devotio eucharistica et Marialis, constans orationis spiritus, magnanimum studium servitii. Necessitates omnium advertens, tum in provincia familiari tum in illa sociali, libenter aliis tradebat quae ipsa accipiebat. Resplendet in ea spes, quae in se ipsa est virtus peregrinatorum: et revera tota Servae Dei vita peregrinatio fuit quae culmen suum postrema in statione habuit Romae apud Successorem Petri. Sua in vita suoque in spiritali itinere adimplere ipsa videtur eventus peregrinationis biblicae veluti adfirmatio primatus Dei super omnes eventus humanos: «Laetatus sum in eo quod dixerunt mihi: “In domum Domini ibimus”» (*Ps* 122, 1).

Elisabetha Romae die 17 mensis Februarii anno 1857 pie in Domino obdormivit atque in ecclesia iam memorata Sanctissimi Salvatoris in Unda est sepulta.

Post obitum Servae Dei, eius sanctitatis fama ita magna fuit ut, paucis mensibus transactis, Cardinalis Vicarius Romae Postulatorem pro beatificationis Causa nominaret. Processus Ordinarius ab anno 1858 ad annum 1862 est peractus. Sequentibus annis Processus Apostolici sunt celebrati:

super fama in genere et *super virtutibus,* conclusi cum paratione *Positionis super virtutibus*. Tamen, varias ob rationes, Causa retenta est, sed fama sanctitatis Elisabethae numquam cessavit. Studium Causae iterum ab anno 1990 est actum, atque alia magni momenti documenta reperta sunt, usque ad illud tempus incognita. Iuridica validitas Processus Turritani die 11 mensis Martii anno 1994 a Congregatione de Causis Sanctorum est recognita. Annis 1990-1996 *Nova Positio super virtutibus* est parata. Sessio Consultorum Historicorum die 22 mensis Aprilis anno 1997 est peracta. Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus die 20 mensis Novembris anno 2012 positive edixit de virtutibus Servae Dei. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 21 mensis Ianuarii anno 2014 congregati, me, Angelo Cardinale Amato, moderante, edixerunt Servam Dei heroico modo virtutes theologales, cardinales iisque adnexas excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per me, subscriptum Cardinalem Praefectum, accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Elisabethae Sanna, Christifidelis Laicae, Viduae, Tertiariae professae Ordinis Minorum S. Francisci, Sodalis Unionis Apostolatus Catholici a S. Vincentio Pallotti conditae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

AMAZONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Seraphinae Cinque (in saeculo: Noëmis) Sororis professae e Congregatione Sororum Adoratricum Sanguinis Christi (1913-1988)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quam bonus Deus!».

Haec, quae in ore Servae Dei Seraphinae Cinque (in saeculo: Noëmis) iugiter recurrebant, verba tamquam summa exstant clarae eius et benignae fidei in Deo, quae ad omnia laeta tristiave sub luce divinae caritatis legenda eam duxit.

Serva Dei die 31 mensis Ianuarii anno 1913 Uricuritubae ad ripas Amazonii fluminis e familia ab Italia oriunda nata est et ad regenerationis fontem nomen Noëmis sumpsit. Cum parentes maximi cacai facti essent productores ex universa Amazoniae regione, quo nuperrime tantum migraverant, genere ipsa locuples erat, quapropter optima Serva Dei imbuta est christiana culturalique ac civili institutione, quae Manausii, ubi quattuor annos scholam primariam frequentavit, apud Collegium Sororum a Sancta Dorothea recepit, quod dein consentiente patre deseruit, cum spes vitae religiosae amplectendae clare se aperuit. Studiis exinde in schola publica perfectis, titulum magistrae scholae elementaris adepta est.

Munus statim docendi eidem commissum est primum in recessibus silvae et, biduo post, Manausii, ubi operam pluribus in Institutis usque ad annum 1946 dedit, cum ad Civitates Foederatas Americae Septentrionalis una cum Sororibus Adoratricibus Sanguinis Christi profecta est, quae interdum in Brasilia condiciones ad missionem in valle Amazoniae ineundam ante existimaverant. Nam, Servae Dei numquam anhelitum defecerat, ut religiosa fieret, immo, eodem tempore, sive cum iuvenis studiis dedita erat sive oneribus magistrae functa, ad navitates paroeciae et catechesim tradendam sicut et diversas ad consociationes admodum attendit. De urbis pauperibus praeterea moliebatur egenis, quos quo magis adiuvaret ministrae subsidiariae infirmorum consecuta est titulum.

Dein, Serva Dei vota religiosa perpetua profiteri valuit, nomen sumens Seraphinae, et arduo mandata est officio curandi, ut scholae Sororum Ado-

ratricum a Statu Brasiliensi recognocerentur; et cum infirmorum ministrae munera summa cum peritia simul et ardore exerceret, mulierum sarcinis praesertim praegnationis oneratarum culmen iamiam facta est eminens et signifer lucerna. Reliquos sedecim annos vitae, ab anno scilicet 1971 adusque annum 1987, Altamiram in Paraënsi dicione missa est, ubi vespertinis horis in schola praeciperet aegrotisque apud nosocomium dioecesanum subveniret, quod Episcopus ipse, Missionarius e Congregatione Pretiosissimi Sanguinis, gerebat.

Eodem tempore, territorium illud eventu quodam summae magnitudinis socialis signatum est, molitione scilicet viae, quae universam Amazonicam Silvam transit. Cum innumeris enim in familiis inceptum illum potioris vitae magnam suscitavit spem, ad loca permulti migraverunt Amazoniae, qui autem immanes in difficultates incederunt, quasi ab omnibus derelicti et certae morti destinati. Quibus Soror Seraphina auxilium refugiumque obtulit omnibus et ipsa, stipem pro pharmacis alimentisque et vestibus emendis quaeritans, mendicum genus vitae incohavit.

Hac a Parvula Sorore tam gracili et eximia pietate suffulta in proximum quemque, qui illis in inhumanis adiunctis viveret, populus magis in dies sivit commoveri. Soror Seraphina Episcopum huc suasit, ut hospitium quoddam pro egentissimis et praesertim pro mulieribus exstrueret, quae de silva post dies itineris in trabariis vel alio simplicissimo vehiculo devectae pervenirent, ut in valetudinario Altamirae parerent. Quod autem anno 1984 tantum valuit, etiamtum ineptis modestissimisque semper sedibus adhibitis.

Suavis Servae Dei indoles et fortis profundae eiusdem spiritualitati mire adhaesit et implicans genuit amore refertum exemplar conversationis. Opus eius pro bono humanitatis limpido intellectui fidei innitebatur, quem iam infans domi sibi conciliaverat et suipsius cum Christo magis magisque corroborare valuit occursum Verbo Dei, oratione et Eucharistiae participatione enutritum. In Sororum Adoratricum Sanguinis Christi actuositatis gratia et virtute Serva Dei aërem profecto invenerat menti ac rationibus suis spiritualibus omnino consentaneum in simplicitate puritateque et corporis animaeque necessitatum populi sui sollicitudine perficiendis. Omnibus in adiunctis numquam defecit, quominus sive doctrinae in paroecia tradendae ardore fungens officio sive uti fundatrix animatrixque diversarum consociationum

ecclesialium, necnon milium alumnorum sedula institutrix atque pauperum infirmorumque indefessa ministra Evangelii nuntium iugiter ferret.

Dimidio fere anno 1987, Serva Dei, gangliorum lymphaticorum tumoris signis ostensis, Altamiram deseruit et infra annum acria inter corporis tormenta transactum Manausii die 21 mensis Octobris anno 1988 peregrinationem suam in mundo consummavit.

Hanc ob sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curias Archiepiscopales Amazonensem et Belemensem de Pará atque Praelaturam Territorialem Xinguensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 7 mensis Iulii anno 2000 ad diem 29 mensis Septembris anno 2003, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 17 mensis Decembris anno 2004 probatae sunt. *Positione* confecta, die 28 mensis Septembris anno 2012 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Ianuarii anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Seraphinae Cinque, Sororis professae Instituti Sororum Adoratricum Sanguinis Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

ANGELUS card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VERONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi Girelli Sacerdotis Dioecesani (1886-1978)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«In carcere eram, et venistis ad me» (*Mt* 25, 36b).

Servus Dei Iosephus Girelli, sextum misericordiae opus, nempe detentos in carcere visitandi, sibi assumpsit, suae operositati omnimodum caritatis vigorem adiungens et insimul laicos instituens christifideles ad missiones detentis in carcere ferendas. Apud scholam Iesu et Francisci Assisiensis, didicit solam *caritatem*, fraternum nempe et christianum amorem, abyssum qua mundus carceris a mundo libertatis separatur replere posse. Quamobrem non tantum condicionem vitae reclusorum cognoscere voluit, verum etiam iisdem adsidere ut eorum vitae et tribulationum particeps fieret.

Iosephus Girelli die 10 mensis Ianuarii anno 1886 Veronae natus est, et, paulo post, die 17 eiusdem mensis baptismatis lavacro ablutus est in ecclesia Sanctae Mariae Magdalenae in pago v. *Dossobuono*, qui pars est urbis Villafranca Veronensis. Hic enim mense Maio anno 1892 ad primum eucharisticum convivium accessit. Expletis elementariis curriculis, studia Veronae prosecutus est apud Institutum Stigmatum. Deinde indicia persentiens sacerdotalis vocationis, frequentavit Seminarium dioecesanum, ubi studia secundaria perfecit et theologica. Die 7 mensis Augusti anno 1910 sacro presbyteratus ordine est insignitus.

Primum mandatum implevit se conferens in Villam Atesinam, viculum Provinciae Rhodigiensis, dioecesis Veronensis, qua vicarius cooperator paroeciae. Mense Augusto anno 1918 tamquam rector ingressus est, et, ipso tempore quo erigebatur ad gradum paroeciae anno 1928, uti parochus in locum *Rosegaferro*, ex Villafranca Veronensi, ubi moratus est usque ad annum 1951, uberes spirituales colligens fructus. Hic enim ab anno 1933 perfecit et disposuit Piam Unionem Sacerdotalem pro gratuitis missionibus in Institutis carcerariis, in quibus pastorali opere maxime praestitit.

In eius spiritu clarius in dies persuasio eminebat Iesum in terram advenisse ad salvandum quod perierat, ad errantem ovem quaerendam, ad

misericordiam latroni paenitenti ferendam; quin etiam Dominum hominibus, maxime miseris ac derelictis similem fieri non erubuisse. Servus Dei in reclusis vultum Domini dolentis contemplabatur. Quapropter mense Iulio anno 1934 primam duplicem missionem promovit destinatam iis qui Parmae in institutis poenalibus et iudiciariis retinebantur. Aliquot post annos, hoc pastorale ministerium in dies celerius propagatum est, ita ut carceres attingeret Romae, Venetiarum, Planasiae, Augustae Taurinorum, Brixiae, Gorgonae, pagi *Castiadas*, Francorum Castri, Aemiliae ... Hic missionalis apostolatus apud carceres non impedivit eum quominus assistentiam et servitium proprium communitati paroeciali praestaret, non obstante periodo illa, annis 1939-1945, qua alterum bellum mundanum grassabatur. Servus Dei ductor et tutissimum praesidium exstitit erga fideles sibi suaeque sollicitudini concreditos.

Quo apostolatum apud reos et captivos melius explicaret, e paroeciali munere eximi petivit, ut propositum aleret Deo se vovendi in Instituto Pauperum Servorum Divinae Providentiae, quod Sanctus Ioannes Calabria condiderat. Quod tamen propositum, attenta peculiari condicione in qua Dioecesis versabatur parochi praesentia indigens, ad effectum perduci nequivit. Nihilominus Servus Dei, mandato sui Episcopi obtemperans, novatis viribus pastorale ministerium exercere perrexit. Totam vitam insumpsit inserviens omnibus qui, variis de causis, deiectionem intra parietes carceris patiebantur; et hanc sensibilem curam in animum infudit plurium sacerdotum et laicorum, quos ad hoc grave ministerium alliciebat.

Peculiari eius charismate ac constanti vita orationis nitebatur, ex qua fortitudinem et iudicii perspicuitatem hauriebat. Servus Dei apud scholam Iesu Crucifixi formatus ac penitus particeps mysterii eucharistici hominibus corpore et spiritu dolentibus proximum humiliter se fecit, ita ut omnibus minister, amicus et frater fieret. Manus Divinae Providentiae in dolore contemplans, reclusos hortabatur ut oppeterent et superarent sensus detrectationis, rebellionis et angoris; ut frangerent inquietudinem et angustias, ita ut sese aperirent ad fiduciam et ad spem, quas ipsemet tam in corde quam in modo sese gerendi nutriebat.

Bello nuper composito ac ruderum congerie acerbisque vulneribus signato, Episcopus Veronensis die 4 mensis Augusti anno 1947 approbavit Statutum pro Missionibus gratuitis in praeventionis ac poenae sedibus ser-

vandum. Inter proposita illius Operis, quod ex Servi Dei *caritate* ortum est, praeter missiones in locis custodiae, requirebatur ut sodales darent operam iuvandis familiis captivorum ac peculiarem in modum iis qui, poena iam soluta, e carcere dimittebantur. Eodem fere tempore instituit Commentarium bimestre cui titulus « Croce Bianca », ut instrumentum communicationis inter reclusos eorumque familias haberetur.

Quandoquidem missionalis apostolatus inter reclusos et assistentia ad sodales Piae Unionis increscebat, Servus Dei a munere paroeciali exonerari obtinuit. Qua de re anno 1951 paroeciam reliquit ac sedem statuit in pago v. *Ronco all'Adige*, ubi spiritualis curae munus in relaxationis Hospitio assumpsit. Hic enim Domum condidit Sancti Ioseph excipiendis reclusis de vinculis dimissis. Apostolica eius navitas celeriter diffusa est et ideo in dies maiora creverunt subsidia, ita ut anno 1957 in lucem erigi potuerit Sextum Opus, scilicet, consociatio laicorum qui promptos se praeberent ad missiones apud reos promovendas. Huic Sedi aliae sunt additae domus, quarum fuit hospitio excipere eos qui frequentiores libertate fruebantur. Mense Iunio anno 1959 Servus Dei ob Meritum Civile Redemptionis Socialis aureo nomismate necnon diplomate ab Italico Gubernio est honestatus.

Praeterea, ne extremis quidem vitae annis defecerunt eum iuventus animi, luciditas mentis ac serenitas spiritus ad gloriam Dei et ad servitium tenuiorum omnino dediti. Permanens eius gestus subridens ex artissima communione cum Corde Christi ob amorem sauciato proveniebat. Humilis, silens ac simplex eius apostolatus, quem per duodeseptuaginta annos vitae sacerdotalis exercuit, coram omnibus qui eum cognoverant luculenter patuit.

Mense Septembri anno 1977, Servus Dei se recessit in hospitium Sacri Cordis pagi *Negrar*, Veronae. Die 1 mensis Maii anno 1978, dum ad altare accederet, sacris vestibus indutus ad Eucharistiam celebrandam, animam Domino tradidit.

Sanctitatis fama perpensa, apud ecclesiasticam Curiam Veronensem a die 10 mensis Aprilis anno 2002 ad diem 30 mensis Aprilis anno 2005 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem haec Congregatio approbavit, Decretum edens die 9 mensis Iunii anno 2007. Exarata *Positione*, ut de more disceptatum est de virtutibus heroico in gradu a Servo Dei exercitis. Die 26 mensis Februarii anno 2013 Consultores Theologi in Peculiari Congressu congregati faventem tulerunt sententiam. Purpurati Patres et

Episcopi in Sessione Ordinaria habita die 7 mensis Ianuarii anno 2014, cui egomet, Angelus Card. Amato, praefui, agnoverunt Servum Dei heroicum virtutum theologalium, cardinalium eisque adnexarum fastigium attigisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Girelli, Sacerdotis Dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BONAËRENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Benedictae Arias Fundatricis Sororum Ancillarum Iesu in Sacramento (1822-1894)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum ut sacrificium vespertinum» (*Ps* 141, 2).

Serva Dei Maria Benedicta Arias, humilis ac simplex necnon paenitens ac pia mulier, sanctae Ecclesiae fidelissima sanctitatis viam percurrit. De eucharistica spiritualitate sane deprompsit magnanimitatem et vim tum egentissimis se dicandi, tum maternam sollicitudinem erga pupillas aegrotosque exprimendi. Divina gratia eius cor convertit quasi in pretiosum turibulum, ex quo perpetuo halavit Sanctissimi Sacramenti adorationis laudisque odor, necnon magnanimae actuum reparationis, una cum Christo Crucifixo, ad consequendam fratrum in corpore et spiritu vulneratorum salutem.

Serva Dei die 3 mensis Aprilis anno 1822 in loco vulgo *La Carlota*, provinciae *Río Cuarto* intra Argentinae fines, vitam iniit. Die 30 mensis Maii eiusdem anni Baptismatis ac Confirmationis sacramenta recepit. Cum puellae innuptae esset filia ideoque reiecta ab originis familia, humilibus coniugibus, olim servis natione Africanis, est assignata. Parentes adoptivi, qui Saltae constiterant, perpauperes erant at boni christiani. Qui vero eam et amore sunt amplexi et fide imbuerunt.

Anno 1840, matre adoptiva mortua, Serva Dei inire petiit societatem piarum mulierum, quae Bonaëropoli in exercitiorum domo, instituta a Venerabili Maria Antonia de la Paz y Figueroa, vitam communem, sine votis religiosis, ducebant. In hoc loco misero et austero Maria Benedicta, per triginta annos, operosam, humilem, paenitentem, temperantem, orationis amantem se praebuit. Magistrae, Secretariae et Oeconomae munera in spiritu evangelici ministerii explevit.

Anno 1845, in Bonaërensi coenobio Sancti Francisci, vestem Franciscalem induit et, die 10 mensis Maii anno 1846, veluti tertiaria Ordinis Fratrum Minorum vota nuncupavit. Anno 1862 Confraternitati a Sanctissimo Sacramento, in Cathedrali ecclesia Bonaërensi erectae, nomen dedit ita ut

adorationis, etiam nocturnae, vigilias prope altare crebriores redderet. Ex hac profunda cum Domino unionis vita eam cepit desiderium communitatis domus exercitiorum convertendae in congregationem religiosam. Anno 1870, ut rem obtineret ac manifestam Archiepiscopi Bonaërensis haesitationem superaret, Romam petiit. Beatus Pius PP. IX, in audientia illae concessa, eiusdem animum confirmavit et novo instituto benedixit. Serva Dei iter perrexit peregrinans ad Terram Sanctam ibique futurae Congregationis Regulas scripsit. Postquam domum rediit, die 9 mensis Novembris anno 1871 dioecesanam obtinuit approbationem Instituti Ancillarum Iesu in Sacramento, quod Sanctissimum Sacramentum diu noctuque adoraret, puellis orphanis, pauperibus, aegrotis, iuvenibus matribus innuptis subveniret necnon operam in nosocomiis navaret. Die 21 mensis Novembris anno 1876 professionem religiosam, una cum primis tredecim sodalibus, emisit.

Etsi Antistita Generalis, quin pro consororibus ac puellis orphanis mendicaret non recusavit. In moderanda congregatione prudentiam sapientiamque praestavit atque calumnias et obtrectationes patienter toleravit. Saltae et in Civitate Bolivarensi novas domos religiosas erexit. Heroico cum animo consensit ut operam sanitariam et auxiliarem daret in Bonaëropolis syphilocomio ac valetudinario, locis famosis ac pestilentiosis, quorum curam alia instituta religiosa non acceperant.

Serva Dei spiritales singulorum illic iacentium conditiones respiciebat, illorum mentes ad propriae humanae dignitatis sensum revocabat eosdemque ad sacramenta recipienda disponebat. Urbs Bonaëropolis stupebat operam apostolicam Matris Benedictae Arias eiusque consororum, quae ad animas Deo acquirendas unice vivebant. Filias suas fundatrix hortabatur, dicens: «Omnia summa bona facite», iisdemque verum Ecclesiae thesaurum monstrabat: «Ad pauperes, filiae, ad pauperes; pauperes semper quaerite».

Die 25 mensis Decembris anno 1893, incendio orto in cappella Domus nuncupatae *de Jesús*, Mater Benedicta superfuit graviter usta. Inde eius valetudo paulatim est aggravata. Cum omnibus membris caperetur, totam Divinae Voluntati, amplius orando et adorando, se commisit. Die 25 mensis Septembris anno 1894, sicuti praedixerat, caelesti Sponso obviam hilare ivit.

Ob eius sanctitatis famam, ab anno 1937 usque ad annum 1940 apud Curiam Archidioecesis Bonaërensis celebratus est Processus Ordinarius, cuius validitas iuridica per Decretum die 2 mensis Maii anno 1998 a Congregatione

de Causis Sanctorum est recognita. *Positione* confecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 31 mensis Ianuarii 2013 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Ianuarii anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Benedictae Arias, Fundatricis Sororum Ancillarum Iesu in Sacramento, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

ANGELUS card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VICTORIENSIS

Beatificationis Seu Declarationis Martyrii Servi Dei Petri Asúa Mendía Sacerdotis Dioecesani († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Si Christi causa est, me non piget mori (...). Si propter fidem me persequuntur, benedictus sit Deus».

Haec sunt aliqua postrema verba Servi Dei Petri Asùa Mendia suam illimem conscientiam declarantia atque generosam dispositionem ad significandam, morte cruenta, propriam fidelitatem Christo et Ecclesiae in perdifficilibus adiunctis cuiusdam persecutionis religiosae.

Primo dimidio saeculi XX, Ecclesia Catholica in Hispania reapse aggredita est ferociter, tum physice a Militiis AnarcoMarxistis, tum iuridice et administrative legislatione libertatem religiosam et cultus exercitium vetante. Sacerdotes et Episcopi, una cum Religiosis et apostolice consociatis fuerunt methodice accusati, minati, ac saepe coacti ad paroecias et communitates relinquendas, in carcerem coniecti, denique necati. Ecclesias et coementeria contaminata, profanata et demolita sunt. Cultus libertas primum restricta et postea suppressa est. Multae terroris ac seditionis fuerunt victimae, quae verticem consecutae sunt anno 1936, in cuius aestate circiter septuaginta neces quotidianas exsequebantur. Servus Dei Petrus Asúa Mendía pertinet ad Hispaniae christianorum martyrum gloriosum exercitum, interfectus propter unicam culpam identitatis suae catholicae et sacerdotalis.

Servus Dei natus est in loco v. d. *Valmaseda* apud civitatem *Vizcaya* in Hispania, die 30 mensis Augusti anno 1890. Studia primaria frequentavit in pago natali apud gymnasium Congregationis *Hijas de la Cruz*; sed baccalaureatum obtinuit in schola Societatis Jesu apud *Orduña*. Profectus ad civitatem Matritensem anno 1904, lauream obtinuit in Architectura et professionis architecti exercitium incepit, instituens et aedificans structuras religiosas in pago natali et in Flaviobrigensi et Victoriensi civitatibus; anno 1915 nominatus est architectus titularis Dioeceseos Victoriensis quae, illo

tempore, includebat territoria nunc dioecesium Flaviobrigae et Sancti Sebastiani. Simul, assiduam cum Deo in oratione unionem pleniorem fecit et strenue Adorationem Eucharisticam Nocturnam SS.mo Sacramento evexit. Anno 1919, maturata vocatione ad sacerdotium, admissus est in seminarium Matritense et presbyter ordinatus est die 14 mensis Ianuarii anno 1924. Postea, ministerio apostolico et pastorali strenue inservivit, minime indulgens activitatem architectonicam in dioecesi explicatam, qua de causa novum seminarium et multas ecclesias et oratoria restauravit. Anno 1930, nominatus est Cubicularius a Secretis Suae Sanctitatis.

Ineunte Hispanico civili bello (1936-1939), Dominus Petrus, dum vitam ageret cum propria familia in pago natali, in carcerem coniectus est ad publicas interrogationes sustinendas in quibus aperte declaravit personalem adhesionem Christo Domino et Ecelesiae; enimvero, periculum extremum adens, aggressus est sacerdotale ministerium. Praeclarus atque aestimatione dignissimus erat ob apostolatum suum et multa opera pastoralia utilia ad pauperiores auxiliandos; humilis ac austerus sacerdos, Evangelium praedicabat vitae sanctitate, catechetica instructione et praevalente cura in favorem moligentium. Plus violenta condicio socialis Hispaniae ingravescebat, amplius Dominus Petrus spiritualiter et psychologice animum parabat: hac ratione, martyrii eventum eum non deprehendit. Nominatim, inde a prima provocatione Militiarum dum in domo familiari habitabat, harum perturbationes comminationesque placidum animum Servi Dei non tetigerunt qua de causa apostolatum sereno spiritu non intermittit. Post ultimam celebrationem Sanctae Missae in domicilio parentum, die 25 mensis Augusti anno 1936, transtulit domicilium ad pagum *Erandio* apud Flaviobrigam, ubi commoravit cum duobus avunculis. Detectus die 29 mensis Augusti, in carcerem in *Liendo* apud Santanderiensem civitatem coniectus est; tormentis interrogatus et morte damnatus, scopleto suplicium sumpsit ipso die 29 mensis Augusti anno 1936. Mortuus est postquam inimicos suos veniam indulsisset.

Fama martyrii Servi Dei ita crevit in communitate ecclesiali, ut apud Curiam dioecesanam Victoriensem, a die 14 mensis Decembris anno 1960 usque ad diem 23 mensis Iunii anno 1962, Processus Informativus Ordinarius celebratus est, quem subsecuta, apud Curiam ipsam et a die 20 mensis

Martii usque ad diem 1 mensis Septembris anno 2004, Inquisitio dioecesana. Haec Congregatio de Causis Sanctorum, decreto diei 30 mensis Novembris anno 2007, fidem recognovit Processui et Inquisitioni. *Positio* confecta, iuxta suetum morem, die 9 mensis Februarii anno 2012, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est, in quo propitium votum emanatum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 7 mensis Ianuarii anno 2014 a me Card. Angelo Amato recta, recognoverunt Servum Dei supplicium sumpsisse adhaesionis et fidelitatis Christi et Ecclesiae causa.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Petri Asúa Mendía, Sacerdotis Dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

ANGELUS card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

QUEBECENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Marcellae Mallet Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate de Québec (1805-1871)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur» (*Eccli* 3, 21).

Serva Dei Marcella Mallet Dominum magnificavit per humilitatem et laetitiam vitae et promptam se fecit actioni divinae gratiae, ut potentia Altissimi mira caritatis prò pusillis et pauperibus agere perseveraret.

Serva Dei die 26 mensis Martii anno 1805 in vico v. d. *Cóte-des-Neiges* prope Marianopolim in Canada nata est. Adhuc parvula patre et sex fratribus orbata est, cui dolori summa adicitur inopia, quae familiam eius valde opprimebat. Simul cum uno imperdito fratre avunculorum commissa est curis, quorum gratia Marcella adulescentiam laetam vivere valuit, sed nulla frequentata schola, modo matura aetate ipsa per se legere ac scribere didicit.

Anno 1824, cum se ad vitam religiosam vocatam esse animadverteret, etsi resistente familia, Congregationem Sororum a Caritate de Marianopoli anno 1734 a Sancta Margarita d'Youville fundatam ingressa est. Informationis tempore, admodum enisa est, ut amorem erga Dominum Iesum coleret, cuius viscera benignitatis et actus mansuetudinis ipsa in officiis suis coquae, infirmorum ministrae et sacristae exercendis aemulari contendit. Suas propter aequitatis una et elegantiae dotes Serva Dei, annis 1840-1849, vocata est, ut administratricis atque, ab anno 1845, Superiorissae adiutricis quoque fungeretur muneribus.

Anno 1849, Archiepiscopus Quebecensis ab Instituto Sororum a Caritate petiit, ut opus prò iuvenibus instituendis et pauperibus adiuvandis Quebecopoli inirent. Petitione accepta, Mater Generalis tantae novae quinque religiosas destinavit missionis, cuius Servam Dei Moderatricem nominavit. Sorores civitatem saeva typhi lue invenerunt vestatam et confestim orphanis filiis migrantium ex Hibernia innumerisque aegrotis benigne deservire ceperunt. Communitas, interdum, quae Constitutionum Sororum a Caritate perducebat observantiam, potestati archiepiscopali subiecta est. Hoc revera consilium novum Institutum religiosum ab alio Marianopolitano seiunctum excussit, quod Servam Dei fundatricem et Superiorissam Generalem habuit.

Annis 1857-1866, quinque factae sunt fundationes, quae Servae Dei potestatem praebuerunt peculiaris suae patefaciendae et spiritualis maternitatis aperiendae atque insignis erga proximum ac praesertim pauperes caritatis. Adiunctum proprium ac novae Congregationis virtus, praeter onera sanctificationis singulorum sodalium, orphanis derelictisque et infirmis opitulandi navitate eluxerunt, quos Sorores in eorundem tectis visitabant.

Serva Dei mulier magni fxiit vigoris et indefessae prò fratrum egenorum bono navitatis. Spiritualitas eius caritati vicissim summa et fida oblatione Deo infmitaque eius compassione suffultae et profonda pietate erga Sacratissimum Cor Iesu enutritae innitebatur. Puerorum senumque et infirmorum curae addictissima, Marcella tantum in servitium indolem suam profudit fortem ac benignam, mitem atque strenuam, humilem ac firmam, tenacem in oboedientia Regulae et in actionem Spiritus promptam.

Solitudinis, ingratitudinis et discordiae calvarium comperit, sed his omnibus in adiunctis viam evangelicae perfectionis perquisivi. Serena remissaque et in ore iugiter in aerumnis etiam et contentionibus exornata risu, simplex eloquio ac sese offerendo prolixa, ardentem amorem erga Iesum eucharisticum ostendit altamque et filialem erga Beatam Mariam Virginem devotionem et tempus passionis intimius cum Domino communicans experta est, rerum caelestium mysticae contemplationis quasi attacta umbra.

Aerumnis difficultatibusque grassantibus, Serva Dei incrementa Instituti et Constitutionum scriptum magnas inter poenas ac dissensiones prosecuta est, quae ad summum fastigium devenerunt anno 1866, cum defectus institutionis causa sive ex Superiorissae officiis sive Consiliariae dimissa est. Quam humiliationem animi fortitudine, humilitatis virtute et profonda suipsius oblatione Deo oppetiit, Sororibus sociis patientiae, verae et extremae immunitatis interioris ab ipso Opere suo et genuinae oboedientiae simplicitate morum intimoque gaudio coniunctae praebito exemplo.

Anno 1868, tumore correpta est, qui atrocibus vehementibusque doloribus eam vexavit: quae vero Serva Dei pro pauperum necessitatibus obtulit, pro Congregatione ab ipsa fundata et, ab anno 1870, pro Summo Pontifice Pio IX.

Serva Dei die 9 mensis Aprilis anno 1871 Quebecopoli in Domino quievit, dominica Paschae in Resurrectione Domini.

Ob sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Quebecensem inita est per celebrationem Inquisitionis Dioecesanae a die 6 mensis Octobris anno 1992 ad diem 8 men-

sis Februarii anno 1993, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 26 mensis Novembris anno 1993 probatae sunt. *Positione* confecta, die 11 mensis Aprilis anno 2000 Sessio Consultorum Historicorum habita est et die 1 mensis Iunii anno 2012 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Ianuarii anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praeftxi, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Marcellae Mallet, Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate de Québec, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 27 mensis Ianuarii a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

SANCTI IOSEPHI IN BRASILIA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu Eucharistico (in saeculo: Dulcis Rodrigues Dos Santos) Fundatricis Congregationis Sororum Parvarum Missionariarum a Maria Immaculata (1901-1972)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*Mt* 25, 40).

Serva Dei Maria Teresia a Iesu Eucharistico die 20 mensis Ianuarii anno 1901 lucem vidit in civitate Sancti Pauli in Brasilia, minor nata ex septem filiis quos christiani coniuges Brasilius Rodrigues dos Santos et Helena Herold, anno 1888 matrimonio coniuncti, a Deo receperunt. Die 29 mensis Iunii anno 1902 baptizata, nomen ei impositum fuit Dulcis. Die 1 mensis Septembris 1912 prima vice ad sacram Eucharistiam admissa ftiit ac die 22 mensis Ianuarii anno 1913, in ecclesia cathedrali Saneti Pauli, sacramentum Confirmationis recepit. Assidue scholas frequentavit ac diplomate Magisterii insignita fuit anno 1919.

Dum ad Christum Iesum pressius sequendum se sentiens vocata, inter moniales Carmelitas Discalceatas cooptari intendebat, gravi morbo phthisis correpta, non in monasterium sed in valetudinarium in civitate Sancti Iosephi in Brasilia (v.d. *São José dos Campos*) situm, pergere debuit, die 7 mensis Iunii 1922. Ibi per triennium propriae saluti consulere debuit, at, fere ab initio, salutem proximorum, potius quam propriam, curare videbatur, praesertim spiritualem, morti proximos adistens et omnibus Christiana caritate inserviens. Exemplo suo etiam alias, praesertim iuvenes eodem morbo affectas, movens, maxime indigentibus et derelictis auxilio erat et paulatim considerare coepit morbum suum tamquam signum Divinae Providentiae, quae eam in illum locum duxerat ut spem christianam spe salutis destitutis restitueret.

Sub fine anni 1925 in civitatem Sancti Pauli reversa est ut curam gereret propriae matris, quae graviter aegrotabat et tandem die 28 insequentis mensis Ianuarii animam Deo reddidit. Paucis mensibus transactis, Serva Dei, etsi iam firmiori salute gaudebat, iterum in civitatem Sancti Iosephi rediit ut adulescentulas phthisi laborantes adiuvaret. Itaque anno 1927 domum aperuit in qua puerulas phthisi laborantes recipere incoepit. Anno

1928 monasterium Carmelitarum Discalceatarum ei licentiam ingrediendi concessit, sed propriam vocationem coram Deo discernens, decrevit inter aegrotantes manere et vitam, quasi veram missionariam, prò miseris et indigentibus cuiuscumque generis impendere.

Episcopus Dioeceseos Taubatensis, iudicans zelum Servae Dei secundum Deum esse et videns quod aliae etiam iuvenes ei adiutorium libenter praebebant, decrevit anno 1932 «Piam Associationem Mariae Immaculatae» instituere, quae curam tam materialem quam spiritualem pauperum phthisi laborantium haberet. Die 15 mensis Augusti anni 1932 Serva Dei et eius sociae habitum album cum caeruleo cingulo induerunt ac, verba «Misericordia et Veritas» ut signum sibi proponentes, novo ardore servitium prò infirmis prosequutae sunt et indigentibus.

Anno 1933, Serva Dei extruere incoepit novum valetudinarium, Mariae Immaculate dicatum, ubi mulieres phthisi laborantes, ex quocumque loco venientes, gratis et amore recipere poterant. Insequenti anno Episcopus Constitutiones nascentis Congregationis, a Serva Dei redactas, ad Sedem Apostolicam transmisit et die 27 mensis Iunii anno 1936 Sancta Sedes illas approbavit. Caerimonia pro erectione canonica Congregationis locum habuit die 8 mensis Novembris anno 1936 ac die 6 mensis Decembris Serva Dei nominata fuit Superior Generalis, nomen suscipiens Teresiae a Iesu Eucharistico.

Prima domus, extra civitatem Sancti Iosephi a nova Congregatone fundata, inaugurata fuit die 21 Novembris anni 1939 in urbe Sancti Pauli; agebatur de valetudinario pro infirmis phthisi laborantibus, qui plures erant in eo loco ac aerumnis pieni.

Mater Teresia et Sorores multa pati debuerunt in novis fundationibus aggrediendis, sed, fraterno amore et heroica patientia, insidias sive hominum sive Maligni superantes, animos infirmorum sibi conciliabant et salutem tam corporum quam animarum fructuose promovebant, ita ut cum Apostolo dicere nobis liceat: «Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia» (*1 Cor* 1, 27), si consideremus quod fundationes ab ipsis factae numerum triginta et octo attigerunt.

Die 11 mensis Februarii anno 1952 Sancta Sedes Decretimi Laudis concessit, quo Congregatio devenit Institutum Iuris Pontificii, inde emisit Decretum Approbationis Definitivae Congregationis Sororum Parvarum Missionariarum a Maria Immaculata.

Tandem Serva Dei, postquam totam vitam prò aegrotis et indigentibus impenderat, semper evangelium fideliter sequens ac omnium virtutum exemplum propriis et extraneis praebens, die 8 mensis Ianuarii anno 1972 ad celestem Sponsum convolavit, filiabus sequens spirituale Testamentum relinquens: «Sanctae estote. Fideles estote Summo Pontifici, Ecclesiae ac Constitutionibus. Sanctissimum Sacramentum et Virginem Mariam vere diligite. Unionem servate, et beatae eritis».

Fama sanctitatis, qua in vita gaudebat, post mortem celeriter crevit. Ob eam rem Causa Beatiticationis et Canonizationis apud Curiam Episcopalem Sancti Iosephi in Brasilia inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 17 mensis Augusti anno 1997 ad diem 25 mensis Novembris anno 2001, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 2 mensis Maii anno 2003 probatae sunt. *Positione* confecta, die 21 mensis Maii anno 2013 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinale et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 4 mensis Martii anno 2014, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu Eucharistico (in saeculo: Dulcis Rodrigues Dos Santos), Fundatricis Congregationis Sororum Parvarum Missionariarum a Maria Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Aprilis a.D. 2014.

ANGELUS card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ROMANA

Canonizationis Beati Nicolai a Longobardis (in saeculo: Ioannis Baptistae Clementis Saggio) Oblati Professi ex Ordine Minimorum (1650-1709)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Nicolaus (in saec.: Ioannes Baptista Clemens Saggio) die 6 mensis Ianuarii anno 1650 natus est Longobardis, parvo vico intra fines provinciae Consentiae in Italia. Puer arva cum patre severe operatus est; exinde, anno 1668, ad ramum saecularem Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula se aggregavit et, paucis post annis, quo propius suam sequeretur vocationem, protoconventum Paulae ingressus est. Die 29 mensis Septembris anno 1671, vota Minimorum professus est et illinc munera exercens humillima, etsi in doctrina tradenda maxime praestabat et schola eius et a pueris et ab eorum parentibus admodum existimabatur, varias apud communitates vixit. Peculiari dilectione pauperes coluit, quibus omnibus sive animae sive corporis in necessitatibus subvenit. Anno 1683, Roma Lauretum peregrinatus est, ut prò Vindobona et Europa Christiana ex obsidione copiarum Othomanorum eximenda a Beata Maria Virgine intercessionem invocaret. Multis etiam mysticis contemplationibus honestatus est. Mense Ianuarii anno 1709, hostiam se obtulit pro Ecclesia, ut nova Urbis praedatio vitaretur, et, consecuto die 3 mensis Februarii eiusdem anni, ultimis sacramentis receptis, Crucifixum osculatus est et in Domino quievit. Fama sanctitatis in saecula perseveravit. Summus Pontifex Pius VI anno 1786 eum in numerum beatorum rettulit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertum subiecit mirum eiusdem Beati intercessioni tributum incolumitatis eventum, qui ineunte aestate anni 1938 in vico eius natali occurrit. Nam, iuvenis decem et septem annos natus, qui in reficienda ecclesia loci uti operarius discipulus laborabat, e contignatione ad altitudinem duodecim metrorum collocata ruinae tabulae cuiusdam causa delapsus, humi proruit et super aggerem arenae, caementi et lapidum praeacutarum conflatum cecidit. Confestim autem iuvenis a terra resurrexit ac nihil damni se perculsum intellexit esse nulloque corpus dolore corripi vel obice motum

praepediri: signum tantum metuendi illius praecipitii levis fuit genus perfrictio, quam percussa ei in deiectu trabs procuderat.

Iuvenis, vero, qui nec conscientiam nec rationem amiserat praeceps, sponte ad divinum auxilium confugere statuerat per Beati intercessionem, cuius iam ex pueritia erat devotissimus, ut e gravi illa calamitate evaderet illaesus. Et revera se a casu ilio omni vigore sustulit refertus atque, nullo deinceps quoque obrepto damno, omnes vitae consuetudines resumpsit et, praetermissa omni medicorum pervestigatione, licet protinus suetas navitates iam repetere vellet, a magistro operis persuasus ad easdem tantum consecuto die rediit. Etiam postea nihil ex deiectu ilio exstitit et ipsa insequentia examina radiorum emissionis ope instructa cuiuscumque laesionis ostenderunt vestigium, nec damna psychica quidem umquam conspecta sunt.

De hoc miro habito incolumitatis casu apud Curiam Archiepiscopalem Consentinam – Bisinianensem a die 24 mensis Maii anno 2008 ad diem 15 mensis Iunii anno 2009 Inquisitio Dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 11 mensis Martii anno 2011 probatae sunt.

Acta dein collecta examini et iudicio Dicasterii Medicorum Collegium subiecta sunt, quod in Sessione diei 13 mensis Decembris anno 2012 casum inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit.

Die 28 mensis Novembris anno 2013, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est ac, die 4 mensis Martii anno 2014, Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Nicolai a Longobardis (in saec.: Ioannis Baptistae Clementis Saggio), Oblati Professi ex Ordine Minimorum, videlicet de «assenza di qualsivoglia significativa lesività sia somatica sia psichica in un giovane, in conseguenza della precipitazione da grande altezza».*

Hoc autem decretimi publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Aprilis a.D. 2014.

Angelus card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

VERONENSIS et VICENTINAE
de finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP. D.D. Iosephus Zenti, Episcopus Veronensis, et Beniaminus Pizziol, Episcopus Vicentinus, ab Apostolica Sede unanimi consensu exspostulaverunt ut memoratarum circumscriptionum ecclesiasticarum fines paululum immutarentur.

Congregatio pro Episcopis, rata huiusmodi immutationem animarum bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco, divina Providentia PP., tributarum, oblatas preces accipiendas censuit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ab dioecesi Veronensi seiungit et dioecesi Vicentinae adnectit territorium Paroeciae Sanctae Mariae Magdalenae, in portione vulgo nuncupata «Caselle di Pressana», in pago vulgo dicto «Pressana (VR)».

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Adrianum Bernardini, Archiepiscopum titulo Faleritano et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegando ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 8 Augusti 2014.

Marcus card. Ouellet
Praefectus

✠ Ilson de Jesus Montanari
a Secretis

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 3 Iulii 2015. — Titulari episcopali Ecclesiae Lestronensi, R.D. Ansgarium J.L. Florencio, e clero archidioecesis Palensis, ibique Sancti Ioannis seminarii Rectorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Caebuanae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gisipensi, R.D. Dionysium C. Villarojo, e clero archidioecesis Caebuanae, hactenus paroeciae Nostrae Dominae Sacri Cordis Curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 4 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Laurentii, Exc.mum D. Ioachimum Hermetem Robledo Romero, hactenus Episcopum Carapeguanum.

die 7 Iulii. — Ordinariatui Militari in Re Publica Chiliensi, Exc.mum D. Iacobum Silva Retamales, hactenus Episcopum titularem Belensem et Auxiliarem Vallis Paradisi.

die 8 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Sobralensi, Exc.mum D. Iosephum Aloisium Gomes de Vasconcelos, hactenus Episcopum titularem Canapitanum et Auxiliarem archidioecesis Fortalexiensis.

— Ordinariatui Militari Venetiolae, R.D. Benedictum Adamum Méndez Bracamonte, e clero Ordinariatus Militaris, hactenus Administratorem dioecesanum eiusdem Ordinariatus.

die 10 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Rothomagensi, Exc.mum D, Dominicum Lebrun, hactenus Episcopum Sancti Stephani.

die 14 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Carpitanae, R.D. Georgium Henricum Concha Cayuqueo, O.F.M., hactenus Ministrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum in Chilia, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Sancti Iacobi in Chile.

die 15 Iulii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Castrensi in Sardinia, R.D. Dominicum Meier, O.S.B., hactenus Vicarium Iudicialem in archidioecesi Paderbornensi, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 15 Iulii 2015. — Titulari episcopali Ecclesiae Sitensi, R.D. Odonem Bentz, hactenus Rectorem Seminarii Maioris Moguntini, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cattedrali Ecclesiae Cadurcensi, R.D. Laurentium Camiade, e clero dioecesis Agennensis, ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 18 Iulii. — Episcopali Ecclesiae Octeriensi, R.D. Conradum Melis, e clero dioecesis Uxellensis-Terralbensis, hactenus in eadem Parochum necnon Vicarium Episcopalem pro Evangelizatione et Institutione.

— Cathedrali Ecclesiae Patavinae, R.D. Claudium Cipolla e clero dioecesis Mantuanae, hactenus ibidem Parochum et pro Actione Pastorali Vicarium Episcopalem.

die 21 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Trofimianensi, R.D. Iosephum V. Brennan, e clero archidioecesis Angelorum in California, ibique Vicarium Generalem et Moderatorem Curiae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Macrianensi in Mauretania, R.D. Robertum E. Barron, e clero archidioecesis Chicagiensis, hactenus Rectorem Seminarii Maioris et Praesidem Universitatis Sanctae Mariae ad Lacum in civitate vulgo dieta Mundelein, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Angelorum in California.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cellae Sancti Auxilii, R.D. Davidem G. O'Connell, e clero archidioecesis Angelorum in California, ibique hactenus Curionem paroeciae Sancti Michaelis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 24 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Cucutensi, Exc.mum D. Victorem Emmanuelem Ochoa Cadavid, hactenus Episcopum Malagensem-Soatensem.

die 28 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Ilerdensi, Exc.mum D. Salvatorem Giménez Valls, hactenus Episcopum Minoricensem.

die 1 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Midilensi, R.D. Albertum Ortega Martín, Nuntium Apostolicum, quem archiepiscopali dignitate ornavit.

die 4 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Margaritensi, Exc.mum D. Ferdinandum Iosephum Castro Aguayo, hactenus Episcopum titularem Amporensem et Auxiliarem archidioecesis Caracensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Sommo Pontefice Francesco ha compiuto un Viaggio Apostolico in Ecuador, Bolivia e Paraguay dal 5 al 13 luglio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

1 agosto 2015 Il Rev.do Mons. Alberto Ortega Martín, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Midila, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Giordania e in Iraq*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

4 luglio 2015 S.E.R. Mons. Jean Laffitte, Vescovo tit. di Entrevaux, Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia, *Prelato del Sovrano Militare Ordine di Malta*.

20 » » L'Ill.mo Dott. Salvatore Vecchio, finora Direttore delle Risorse Umane dell'Ospedale Pediatrico Bambino Gesù, Roma, *Direttore dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica, per un quinquennio*.

31 » » Il Prof. Mario Chiavano, già Docente Ordinario di Diritto Processuale Penale nell'Università di Torino e Docente della medesima materia presso la LUMSA di Roma, *Giudice Aggiunto del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano*.

1 agosto » L'Ill.mo Prof. Alfredo Pontecorvi, Professore Ordinario di Endocrinologia e Direttore della I Scuola di Specializzazione in Endocrinologia e Malattie del Metabolismo, Policlinico Universitario Agostino Gemelli, Università Cattolica del Sacro Cuore, Roma, *Direttore della Direzione di Sanità ed Igiene del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, per un quinquennio*.

4 agosto 2015 L'Ill.mo Prof. Fabrizio Soccorsi, Primario emerito di epatologia dell'Ospedale San Camillo di Roma e Consulente della Direzione di Sanità ed Igiene del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, *Suo Medico personale*.

6 » » ha rinnovato la Commissione Speciale per la Liturgia presso la Congregazione per le Chiese Orientali, che risulta così composta: S.E.R. Mons. Marini Piero, Arciv. tit. di Martirano, Presidente; Rev.do Sac. Cummings McLean, Segretario; Rev.do P. Abraha Tedros, O.F.M. Cap.; Rev.do P. Giraudo Cesare, S.I.; Rev.do P. Pott D. Thomas, O.S.B.; Rev.do P. Archim. Nin Manuel, O.S.B.; Rev.do P. Iacopino Rinaldo, S.M.; Rev.do Mons. Pallath Paul.

NECROLOGIO

7	luglio	2015	Mons. Luigi Martella, Vescovo della diocesi di Molfetta-Ruvo-Giovinazzo-Terlizzi (*Italia*).
11	»	»	Sua Em.za il Card. Giacomo Biffi, del tit. dei Ss. Giovanni Evangelista e Petronio (*Italia*).
12	»	»	Mons. Omar Félix Colomé, Vescovo em. di Cruz del Eje (*Argentina*).
22	»	»	Mons. Simon Pierre Saint-Hillien, C.S.C., Vescovo di Hinche (*Haiti*).
24	»	»	Sua Em.za il Card. William Wakefield Baum del tit. di S. Croce in via Flaminia (*Stati Uniti di America*).
28	»	»	Mons. Fransiskus Xaverius Rochrjanta Prajasuta, M.S.F., Vescovo em. di Banjarmasin (*Indonesia*).
3	agosto	»	Mons. Salvatore Cassisa, Arcivescovo em. di Monreale (*Italia*).